SYNOPSIS METAPHYSICA

Andreæ Frommenii,

SS. Th. Lic. Conſiſt. Elect. Brand. Adſeſſoris, & Eccl. Suevo-Colon. Petrinæ &c. vicin. Præpoſiti.

Editio ultima, nonnullis Editoris animadverſionibus hìc illic interſperſis auctior, ſi non & Interpolationibus limatior.



OXONIÆ,
Typis *H. Hall*, Impenſis *Th. Gilbert.* 1669.

Epistola Nuncupatoria.

Viro (non suis minus Virtutibus, quam Stemmatibus Avitis) illustri PETRO CLAUSSONIO Dano.

DEpositum hoc *Metaphysicum*, *Vir Illustrissime*, *sic* redditum accipias, *quod fidei meæ sic* reddendum credideras; *Librumque plus uno nomine tuum Nomini tuo sic* dicandum permittas: *Dignum* scilicet, *si quod aliud*, *Nomen*, *cui talis* dicetur *Libellus*; *Dignus*, *siquis alius hoc in genere*, *Libellus*, *qui tanto* dicetur *Nomini*.

Dignus omnino Libellus; *seu Methodum intueamur exactissimam*, *seu Judicium spectemus subactissimum*; *Nulla hic in tricis Subtilitas*, *nulla a Subtilitate in Necessarius Obscuritas*; *Sed maxima tam Subtilitas*, *quam & Brevitas minori nihilo cum Perspicuitate temperata*. *Nihil Solidi habent Sobriive tumida tot pomposaque Jesuitarum Volumina*, *quod non summo cum Studiorum Commodo*, *absque minimo temporis* (*pretiosissimæ planè Mercis*) *dispendio ex limpidissimo hoc Fonticulo non statim hauriant Juniores ubivis Gentium Academici*. *In suis sane Exercitationibus Metaphysicis*, *quas Juvenis adhuc conscripserat*, *alios omnes* (*unum modo excipias Barlovium*) *longe Superaverat Auibor*, *longius etiamnum hac ipse in Synopsi Semetipsum in Exercitationibus Superavit*; *utroste quam provectioris decem jam annos ætatis Judicioque tanto maturioris factus edidit*.

Dignum usquequaque tuum, *cui inscribatur Nomen*, *qui Genus haud Ignobile omni Literarum* (*qua Linguarum*, *qua Scientiarum*) *Genere amplius adhuc Nobilitasti*, *& Augustius*; *adeo ut vel Perescbii Nobilis magni merito apud Gal-*

los *suos nominis, vel etiam Nobilioris* Boilii *majoris* Britanniæ *nostræ Ornamenti (quo igitur insalutato Anglia emigrare noluisti, opinor nec potuisti) optime videaris æmulus, & Dulce* Daniæ *tuæ Decus brevi Salutandus. Quin & utrique huic Ornamento, insigni Generis* Splendori, *insignioribusque Animi Dotibus Summa Humanitas accessit, humillimaque Modestia; quarum illa paucis iis, quibus familiariter usus es Amicis, ad amplissimos Eruditionis tuæ Thesauros Clavis instar aditum aperit; ista aliis omnibus, pessuli in modum, ostium occludit; nempe reconditi delitescere gestiunt hi etiam Thesauri, nec frequentioribus se ferunt contuendos oculis. Te merito Charissimum habuit Linguarum omnium Orientalium peritissimus, duarumque Professor,* Pocockius; *qui Charius multo, teneriusque sibi Depositum fidei curæque tuæ mandavit, quam tu meæ commiseras; Charissimum & habuit Magnus ille* Matheseos *Professor (Theologiæ etiam haud minus profitendæ idoneus) incomparabilis* Wallisius; *nec minus charum habiturus etiam erat maximus ille Librorum Helluo, & animata plane Bibliotheca (in S. Th. pro Domina Marg. Prof.)* Barlovius, *nisi quam primum æque in Peregrinos humanissimo, ac inter suos Doctissimo illi Viro innotescere cœperas, extemplo te Oxonio, mox & Anglia proripuisses, vel potius (Amicorum mutua Tuique cum Solicitudine) fuisses abreptus: Hos omnes Reverendos, & tanquam Oracula in sua quemque Facultate consulendos tibi proposueras, ut alios Amicitia tua dignandos Amoreque prosequendos, qui & te suo prosequuti sunt invicem: Meritissimi Collegii Regiaensis Socii, quos arctiori propioris Amicitiæ vinculo tibi conjungendos haud imprudens delegeras, quosque humanissime nomine tuo non semel a me jussisti Salutandos,* Robinsonus Sct. Scheltonus, & Daltonus *(lectissima Amicorum trias) Suavissimam tui Servant aliuntque memoriam. Meipsum denique quod spectat; Metaphysicalem hanc Literaturæ partem (Literaturæ tuæ partem quantillam!)*

sic

sic te sequuturam, si fas sit etiam & assequuturam volui, cui statutum esse novi Literas omnes omni terrarum Orbe, donec Omnes assequutus fueris, pede impigro indefessoq; prosequi: & Synopsin hanc absolutissimam, munere tuo Oxonii renascentem, tui tam in me (filiumq; meum) Affectus benevoli, quàm meæ (filiiq; mei) tuam erga Dignitatem Gratitudinis submississimæ perpetuum cupio extare monumentum.

Amicorum omnium, ne dicam & Servorum etiam, Indignissimus.

T. G.

Frequentiores occurrunt (duabus potissimum prioribus schedis) Errores Typographici, sed literales ii, adeoq; leves, ut multo minus cuivis in legendo moræ, quàm aut mihi in colligendo, aut aliis in corrigendo molestiæ videantur creaturi.

PROOEMIUM
DE NATURA
Et Constitutione Metaphysicæ.

Sectio I. Dogmatica.

I. Metaphysica est Scientia Entis, *Quatenus Ens est.*

SECT. I.

GEnus Metaphysicæ dicimus *Scientiam* esse, secuti *Arist. l. 3. Met. c. 1. Suaretzium Disp. 1. Sect. 5. Thomam* in 3. *Met.* passim, *Scheiblerum, Lippium* & alios. *Ratio:* Quicquid ut essentiale latius & proximum Metaphysicæ comperit, id ejus genus est in definitione. Sed scientia (accepta pro habitu demonstrante affectiones subjecti) competit Metaphysicæ, ut essentiale latius & simul proximum, Ergò. Major nititur regula Log. de definitione. Minor habet duo membra: Prius, quòd scientia latior sit, probatur, quia Physica & Matheſis etiam sunt scientiæ; Alterum, quòd

ſit eſſent. proximum, probatur inde, quia nec intelligentia, nec ſapientia, nec prudentia, nec ars dat ipſi proximum genus; Ergò relinquitur, quòd ſcientia id præſtet; quinq; enim habitus intellectuales tantùm dantur. Remotionem reliquorum quatuor vide in controverſiis.

Sect. 2. Objectum dicimus eſſe *ens. Intellectus* noſter in ſeſe non determinatus eſt ad *certum* aliquod, ſicut *guſtus* ad *ſaporem*; ſed *potentiam* habet ad *omnia* intelligibilia. Ne ergò ex *multitudine* cognoſcendorum inordinata oriatur *confuſio*, certa *congeries* cognatarum apprehenſionum ad *unum* objectum reducatur neceſſe eſt, ſcilicet cognitiones *naturalium* rerum ad *corpus naturale*; obſervationes *commenſurationum*, *proportionum*, *figurarum* ad *quantitatem* &c. ita etiam conceptus de variis modis *eſſendi*, *ſubſiſtendi*, *inhærendi* &c, ad evitandam *confuſionem* ad *unum* objectum ſunt reducendi, quod jam dudum *ens* dictum eſt. *Conditio* verò *objecti* inter alias *hæc* eſt, prout accuratè pronunciat Zabarella, ut *menti repreſentet unum certum conceptum, non æquivocum, nec aggregatum, nec concretum; ſed vel univocum vel analogum.* Si ergò *unum* certum *conceptum* menti ſiſtere debet *objectum*, exponendæ hàc occaſione ſunt primum *æquivocationes* ſeu *nominales* diſtinctiones *entis*, & deinde ex iis *verum* objectum eligendum eſt.

Sect.

Sect. 3. (1.) *Ens latissimè sumtum est vel complexum vel incomplexum. Complexum est, quod plures complectitur conceptus; incomplexum, quod unum tantùm.*

Complexum & *incomplexum* autem dantur vel in *terminis*, vel in *rebus*.

Complexum termini (alias *Logicum* præcipuè est *enunciatio*, opus *secundæ* operationis mentis. *Incomplexum termini* est unus *simplex* terminus, è *primâ* mentis operatione natus, qui tamen sæpè *plures* involvit res, ut: audiunt, sapiens, &c.

Complexum rei (alias *Physicum* vel *Metaphysicum*) est, in quo *plures* res connectuntur, quod fit vel in *aggregatis* tam *ordinatis*, quale exercitus est; quàm *inordinatis*, quale acervus lapidum; vel in *concretis*, quæ constant *subjecto* & *adjunctio*, ut sunt *e. g.* doctus, pater, Rex, scribo &c, *Incomplexum rei* est, quod *unam* rem præcisè exhibet. Coincidit certo modo cum *abstracto*, quod distingui solet in *ultimatum*, quod *ulteriorem* abstractionem non patitur, ut: humanitas, albedineitas: Et *non ultimatum*, quod *ulteriorem* abstractionem admittit, ut: homo, albedo.

(2) *Ens aliud est per se, aliud per accidens*, quæ distinctio præcedenti cognata est.

Per se aliàs etiam opponitur *per aliud*. Sic Sol est lucidus *per se*, Luna per *aliud*. Sed in

hac oppoſitione *per ſe* formaliter hîc non habet locum.

Ens *per ſe* & *per accidens* verò in tres modos potiſſimum diſpeſcitur: Nam utrumq; dicitur *primo reſpectu cauſæ*, & ita ens *per ſe* vocatur, quod productum eſt à *cauſa* per ſe (de quâ infrà) ut homo, canis: Ens *per accidens*, ut monſtrum, hoc enim præter intentionem generantis producitur.

Secundo reſpectu ſubjecti, ita ens *per accidens* dicitur, quod non *neceſſario*, ſed *contingenter* competit ſubjecto, vel per *inhæſionem*, ut artes homini; vel per *adhæſionem*, ut albedo parieti, divitiæ agricolæ; vel per *circumjacentiam*, ut veſtimenta homini; vel per externam *denominationem*, ut laus militi: Contrà ens *per ſe*, reſp. *ſubjecti* vocatur, quod dictis modis *neceſſario* competit ſubjecto, ut riſibilitas homini, locus corpori, putamina nuci, appetibilitas bono.

Tertio, reſpectu unionis, ſic ens *per ſe* vocatur, quod remotis omnibus extra eſſentialibus *unam* tantùm dicit *eſſentiam*, ſive ſimplicem, ſive compoſitam; ſive completam, ſive incompletam, ut Angelus, leo, homo, anima, Sed Ens *per accidens* eſt, in quo *plura* completa extraeſſentialiter ſunt unita, vel per *concretionem*, ut homo eruditus; vel per *aggregationem*, ut Philoſophia: vel per *conſociationem* ſ. συνδυασμον, ut ferrum ignitum. Hic tertius modus proprie eſt hujus loci.

3.

(3.) *Ens eſt vel poſitivum vel negativum. Poſitivum eſt, quod ponit veram entitatem in rerum natura, ut viſus; Negativum, quod entitatem aliquam tollit.*

Tollit verò eam vel *abſolutè*, & ſic dicitur ens *purè negativum*, ut non-viſus; vel *in aliqno* ſcil. in ſubjecto capaci, in quo naturaliter ante *fuit*; vel ineſſe *debuit*, ut cœcitas, & dicitur *ens privativum*. Privatio enim propriè ſumpta deſcribitur, quòd ſit *abſentia* alicujus perfectionis naturalis ſ. internæ in ſubjecto ad illam habendam *apto*, in quo vel jam ante *fuit*, vel ineſſe *debuit*. Differt ergo *omnimoda* negatio à *privatione* in eo, quòd illa dicit abſentiam rei *abſolutam*, non habito reſpectu ad certum ſubjectum; hæc verò talem, quæ in ſua natura involvit ordinem ad ſubjectum aptum.

Porrò, quatenus *privatio* plus vel minus è ſubjecto tollit, eatenus vel *totalis* dicitur vel *partialis*. *Totalis* malignior eſt, tollit enim bonum aliquod internum è ſubjecto *ſimpliciter*, ſc. quoad *potentiam & actum*; ut, quando plane periit viſus. Partialis tantùm *ſecundum quid*, ſc. quoad *actum* vel aliquem *gradum*, ut quando quis oculos claudit dormiens, vel luſcus eſt.

(4.) *Ens eſt vel rationis vel reale. Ens rationis eſt, quod objectivè à ratione fingitur ut ens, licet non reverà detur extra mentem. Ens reale eſt, quod non eſt fictum, ſed revera datur, etiam nullo*

hominum attendente.

Ens *reale* hic non opponitur *eſſentiali*, nec *intentionali*, nec *vocali*, nec *modali*: Præter fictionem mentis enim in rerum natura dantur e. g. humanitas, lumen, vox, dependentia; Sed tantum illi, quod ſuum eſſe unicè habet per fictionem intellectus, unde etiam ens *rationis* dicitur.

Sumitur vero ens rationis, quatenus reali opponitur non *intranſitivè*, quomodo ipſe intellectus dicitur ens rationis; non 2. *ſubjectivè*, pro eo, quod eſt in mente, tanquam in *ſubjecto*: ut Phyſica, Metaphyſica, &c. non 3. *effectivè*, pro eo, quod à ratione effectum eſt: ut meditatio, arte facta, &c. non 4. *objectivè realiter* (additur vox *realiter* ad diſtinctionem à ſeq.) pro eo, quod præter *eſſe objectivum*, quò ad intellectum refertur, etiam *eſſe reale* habet, vel reverà datur; ut cum contemplamur lunam, vel ejus eclipſin (*privatio* hæc præter *fictionem* mentis datur reverà) Talia enim omnia hâc in oppoſitione ad ens *reale* pertinent.

Sed 5. Ens rationis ſumitur vel *objectivè abſolutè*, pro eo, quod, præterquam quod *objicitur* intellectui, *nihil* eſt, & ad quod *fingendum* nulla intellectui ex *re* ſuppeditatur *occaſio*, ut Cerberus, purgatorium &c. vel 6. *objectivè conſequenter*, pro tali, quod quidem in ſe *nihil* habet præter eſſe *objectivum*, rei tamen alicujus cognitionem *conſequitur*, quæ anſam dedit mentі,

ti, tale quid fingendi. Talia ſunt *relationes* noti-ones *ſecundæ*, *technica* vocabula, &c. De hac quinta & ſexta ſignificatione vero notandum eſt, quod in his contineatur natura entis rationis quoad conceptum *objectivum* tantùm. Conceptus enim *formalis* in mente ſemper eſt ens *reale*, licet fiat de ente *rationis*.

(5.) *Ens eſt vel actu vel potentia. Ens actu eſt, quod revera exiſtit in rerum natura, ſive jam è cauſis ſuis prodierit*, ut natus infans; *ſive nullas agnoſcat cauſas*, ut Deus. *Ens potentiâ ſ. in potentia eſt, quod nondum exiſtit, à virtute agentis alicujus tamen produci non repugnat.*

Nonnullis alia potentia dicitur *ad eſſendum* & *non eſſendum*; alia *ad operandum*. Nos hîc non intelligimus potentiam ad *operandum*, quæ omnino verum ens eſt; nec potentiam ad non *eſſendum*, quæ itidem reale quid dicit in ſubjecto corruptibili; ſed tantùm potentiam ad *eſſendum*, qua id, quod nondum *actu* eſt, eſſe *poteſt*. Hæ ſunt præcipuæ diſtinctiones nominales ſeu æquivocata entis, (quibus alii addunt diſtinctionem entis in *poſſibile* & *impoſſibile*: in *reale* & *modale*, &c.) quæ latiſſimè ſe per omne genus diſciplinarum diffundunt, & propter innumeram exemplorum varietatem ſpinoſiſſimas pariunt difficultates, quæ hîc ob conſtitutionem objecti Metaphyſicæ prætermitti non potuerunt.

Sect. 4. Non participat autem de objecto

Metaphyſicæ 1. *Ens complexum*, quia *plures* ſimul menti repræſentat *conceptus*, quod naturæ *objecti* repugnat, illud enim tantùm *unum* certum *cenceptum* debet menti offerre, non verò eam hinc inde diſtrahere.

2. *Ens per accidens.* Nam quòd tale eſt *reſpectiu cauſæ*, eſt ens caſuale & fortuitum. Talia verò ſub *ſcientiam* non cadunt, quia ſcire eſt rem per cauſam certam & neceſſariam cognoſcere. Ens per accidens *reſpectiu ſubjecti* non præbet *ſimplicem* conceptum, ſed involvit ſubjectũ adjunctum & reſpectum inter hæc: Ens per acc. *reſpectiu unionis* etiam plura aggregat, & ita non eſt *ens*, ſed entia *plura*.

3. *Ens negativum*, quia tollit entitatem & formaliter dicit *non ens*; Objectum vero eſt *reale quid*.

4. *Ens rationis.* Fingitur enim tantùm eſſe, ergò in ſe non habet eſſentiam.

5. *Ens in potentia.* Nam (1.) in ſe non habet eſſentiam *propriam.* Quam in *cauſis* putatur habere, illa eſt potentia *cauſæ*, quam ens *reale* eſſe ſtatuimus; illa verò non conſtituit *intrinſecè* eſſentiam ejus, quod adhuc eſt producendum. (2.) Deſtituitur *affectionibus*, quas omne *objectum* neceſſariò habet. Quis enim diceret, ens in *potentia* eſſe e. g. *cauſam* vel *cauſatum.* Nam *cauſa* non eſt, quia ita *eſſet* & *non eſſet* ſimul. Eſſet, quia *influeret* ad eſſe cauſati: non eſſet quia adhuc

huc *producendum* eſt. Nihil poteſt agere, antequam exiſtat. Non eſt *cauſatum*, cùm nondum *emerſerit* è ſuis *cauſis*. Sic quomodo quadraret, ſi ens diceres in pottentia bonum, verum, permanens. (3.) Per *modos* vel *ſpecies* non contrahi poteſt. Ens in *potentia* enim nec *ſubſtantia* eſt, quia ſic *pes ſe* ſubſiſteret antequam *eſſet* in mundo, quod contradictorium eſt, neque *accidens* eſt.. Quod *inexiſtit* etiam *exiſtit*. Ens in *potentia* vero nondum *exiſtit*.

6. *Ens modale* (modus *abſtractè* conſideratus) quia non *habet* eſſentiam, ſed *afficit* tantùm eſſentiam. Aliàs ſi *eſſentiam* haberet, iterum ſuos haberet *modos*, in infinitum. Quod igitur non habet *eſſentiam*, non eſt *ens*, & conſequenter non eſt *objectum* Metaphyſicæ. Deindè *modus* nec *ſubſtantia* eſt nec *accidens*, ideò ens non eſt. *Unio* eſt *modus* in compoſitis, ſed *ſubſtantia* non eſt, non enim *per ſe* ſubſiſtit; nec *accidens*, quia omne accidens cum ſuo *ſubjecto* per *unionem* conjungitur: Sic ergò *unio* iterum per aliam *unionem* cum ſubjecto conjungeretur, & ſic in infinitum. Non verò propterea planè *ejicitur* ex Metaphyſica, nec per *accidens* in eâ tractatur, ſed objectum modò non eſt, *contemplationis* ſcilicet.

Sact. 5. Relinquitur ergò quod *objectum* Metaphyſicæ ſit ens *incomplexum*, *per ſe*, *poſitivum*, *actuale & reale*.

Sect. 6. Ut vero in omni objecto, ita & in hoc duo ſunt conſideranda, *materiale* & *formale* ſeu *res* & *modus* conſiderandi. *Materiale eſt ens.* Hoc habet Metaphyſica commune cum aliis diſciplinis. Nam & Logica verſatur circa ens, ſed alio modo, quatenus ſc. ſubſtat notionibus ſecundis. *Formale* objecti Metaphyſici eſt: *quatenus ens eſt.* Particula *quatenus* hic ſumitur tàm reduplicativè, quàm ſpecificativè. *Reduplicativè*, quia indicat, cur ens ſit ſubjectum Metaphyſicæ, quia ſc. habet propriam & intrinſecam eſſentiam, quam ea, quæ in Metaphyſica tractantur, requirunt. *Specificativè*, quia determinat objectum aliàs reliquis *commune*, quod non debeat accipi quidditate *particulari*, ſed *univerſali.* Duo ergo officia ſùt reſtrictionis hujus *quatenus ens eſt*: ut ponat & removeat. *Ponit* & ſpecificat illud, quod in objecto conſiderandum venit, ſcil. ipſam internam eſſentiam, ejus affectiones & modos contrahentes, *ſubſiſtentiam* ſcil. & *inhærentiam.* Non ergo vi harum vocum: *quatenus ens eſt*, prohibetur, quo minus Metaphyſica conſideret ſubſtantiam, quatenus ſubſtantia eſt, ſicut in Phyſica per verba: *quatenus corpus naturale eſt*, non prohibetur, quo minus conſideret hominem quatenus homo eſt; Sed hoc docetur, quod Metaphyſica in iſtis, quæ ſub *ſubjecto* continentur, non debeat *externa* conſiderare, ſed *internam* & *propriam* eſſentiam, e. g. non debet con-

contemplari ens, quatenus ſubſtat notionibus *ſecundis*, quatenus *numerabile*, &c. *Removet* ergo dicta reſtrictio primo *externas affectiones*, *enti intrinſecè & per eſſentiam non convenientes*, ut non conſideretur e. g. accidens, quatenus, ſcibile eſt, ſicut Phyſica non conſiderat hominem, quatenus beandus eſt. Deinde etiam *quidditatem ſpecialius, determinatam*, ne conſideretur ens quatenus rationale, animatum, mixtum &c. eſt. Continet enim ſe Metaphyſica in *abſtractione* ſecundum *indifferentiam*.

II. Dividitur Metaphyſica in partem *generalem* & *ſpecialem*.

Duobus enim modis ſe objectum menti repræſentat; ſcilicet in *genere* & in *ſpecie*, inde tot prodeunt partes. Quando vero Metaphyſica accipit partem *ſpecialem*, non putandum eſt, quod deſinat eſſe *generalis* diſciplina, ſed una pars eſt tantùm univerſalior alterâ.

III. *Generalis* pars eſt, quæ contemplatur ens in *ſummâ* abſtractione, quoad naturam & communiſſimas *affectiones* quæ per ſe inſunt tam ſubſtantiæ, quam accidenti

IV. *Specialis* pars eſt, quæ agit de ente in abſtractione minori, quâ per *ſubſiſtentiam* & *inhærentiam* contrahitur.

SECTIO

SECT. II. ELENCHTICA.

I. An Metaphysicæ Genus sit Ars, vel Prudentia, vel Intelligentia, vel Sapientia?

Neg. *Ars* non est ejus genus quia definitur habitus cum recta ratione *effectivus*. l. 6. Eth. c. 4. Hæc definitio vero longissimè abest à natura Metaphysicæ, quippe quæ nunquam se ad *effectionem* aliquam demittit.

Prudentia itidem non est ejus genus, nam hæc etiam habitus *practicus* est. At differentia *opposita* non potest tribui rei, quæ participat de altera *oppositâ* differentia. Hinc sequitur, quòd, sicut *rationale* non potest tribui *irrationali*, & per consequens etiam non *cani* vel *leoni*; ita etiam *practicum* non possit tribui *Theoreticæ* Philosophiæ, & consequenter etiam non *Metaphisicæ*, quæ ultimarè subsistit in *nudâ* cognitione, atque hinc non est *practica*, sed *Theoretica* disciplina.

Nec *Intelligentia* Metaphisicæ genus est ea enim est habitus *priorum principiorum*, Metaphysica quidem etiam circa *principia prima* est occupata; fit verò hoc diverso modo. Intelligentia agit de iis in *actu exercito*, & conclusiones exinde format.

Sapientiam esse Metaphisicam non negamus, quia ex primis principiis *conclusiones* format.

Quod

Quod verò *Sapientia* Metaphyſicæ *genus* ſit, hoc negamus. Nam non omne, quod de re aliqua dicitur, ejus *genus* eſt. e g. Homo eſt microcoſmus, virtus eſt vitium fugere &c. Arg. Quodcunque non pluribus diſciplinis *Theoreticis* competit, non eſt Metaphyſicæ *genus*. *Sapientia* non competit pluribus diſciplinis *Theoreticis*. Ergò non eſt Metaph. *genus*. Sapientia & Metaphyſica ſunt Synonyma *gram.* & *æquipollentia*, quæ ſe invicem non definiunt: Æquè rectè dico. Sapientia eſt *Netaphiſica*, quàm Metphiſica eſt *Sapientia*; ſicut dico: Ens eſt *res*, & res eſt *ens*. Non ergò Sapientia eſt *genus*, ſed ſpecies *ſpecialiſſima*.

II. An Metaphyſicæ genus ſit Scientia. Aff.

Scientia enim proximè latior eſt *habitu* contemplante *ens*, quatenus *ens* eſt, & ſimul eſt de ejus *eſſentia*, quia ex *principiis* demonſtrativis deducit *concluſiones* infallibiles.

Formalitas Scientiæ, ſi rectè eruitur, & nudè menti repræſentatur, eſt *cognitio infallibilis concluſionis ex principiis demonſtrativis* (ſive ſint *prima*, ſive *orta*, ſive *proxima*, ſive *remota*.) Conditiones *materiales* autem non debent in *formale* ſeu in ultimum *concepium* ſcientiæ inferri.

Quod Scientia ſit *latior* Metaphyſicâ, inde patet, quia competit Phyſicæ quoque *Matheſi* &

& *Pneumaticæ*. Et *Proximè* ipſi competit, quia non poteſt *propius* genus dari. Scientia ergò *latior* eſt ſapientiâ, & hoc modo tanquam *genus* in *ſpecies* per *differentias* contrahitur: Scientia eſt vel *prima*, vel *ſecunda*. *Prima* eſt Sapientia vel Metaphyſica, quæ addit ſcientiæ ut ſic ſumptæ *primitatem*, ſcil. principiorum *primorum*, unde etiam abſque dubio *prima* Philoſophia dicitur. *Secunda* conſiderat vel corpus, ut *Phyſica*; vel ſpiritum, ut *Pneumatica*; vel quantitatem, ut *Matheſis*.

III. Qua abſtractione utatur Metaphyſica in ponendis ſuis limitibus?

Reſp. *Abſtractio* eſt illa operatio mentis, quæ rem è ſtatu *ſingularitatis* in ſtatum *univerſalem* deducit. Et hunc habet uſum accidentalem, ut ſub notione *materiæ* limites diſciplinarum indicet, & deſigner, quæ ad quamvis pertineant, quæ non. Eſt autem quadruplex: Abſtractio alia abſtrahit à materia *ſecundum indifferentiam*, & iſtos ſibi vendicat *conceptus*, qui *materiatis* & *immateriatis* indifferenter communes ſunt, licet in ſua formalitate nullam *materiam* implicent. Aliàs dicitur *Abſtractio Metaphyſica*, quia termini *Metaphyſici* ita ſunt *abſtracti*.

2. Alia abſtrahit à materia *ſecundum eſſentiam*, ſ. *rem*, & illos ſibi tantùm vendicat *conceptus*

tus, qui *materiam* planè reſpuunt, & *abſtractio Pneumatica dicitur.*

3. Alia abſtrahit à *materia ſignata* ſen *ſingulari* tantùm. Hæc tales format *conceptus*, qui quidem rebus *materiatis* competunt tantùm, non verò *individualibus*. Dicitur hæc *Abſtractio Phyſica.*

4. Denique alia abſtrahit *à materia ſingulari ſimul & univerſali.* Hæc verſatur quidem circa res, quæ ſemper in *materia* exiſtunt, ſed non conſiderat eas *quatenus* ſunt in *materia.* Dicitur alias *Abſtractio Mathematica.*

Poteſt & adhuc aliter diſtingui *abſtractio*, ſcilicet in eam, quæ eſt *ſecundum rem*, & quæ *ſecundum rationem.* Secundum *rem* abſtrahit ſecundo loco poſita, quæ aliàs vocatur ſecundum *eſſentiam.* Secundùm *rationem* abſtrahit prima, tertia, & quarta, licet non uno modo.

Ex hiſce 4. *abſtractionis* ſpeciebus prima, competit *Metaphyſicæ*, quæ abſtrahit *ſecundum indifferentiam.* e. g. veritas, unitas &c. *indifferenter* ſe habent ad res *materiatas* & *immateriatas.* Æque homo eſt *unus* ac Angelus.

IV. Quænam ſcientificè in Metaphyſica tractentur?

Quæ *ſcientificè* tractantur, ea coërcet *ens quatenus ens*, & *abſtractio ſecundum indifferentiam.* Traduntur autem hæc vel *directè*, ut

entis

entis natura; vel *in ordine ad directum*, ut *affectiones* entis, ejus *ſpecies*, & *principia* demonſtrationis.

Quæ *non ſcientificè* à Metaphyſica cognoſcuntur, illa in ea habentur vel *planè per accidens*, cùm ſcilicet aut *homonymia* aliqua tollitur, ut in diſtinctionibus *nominalibus* entis; aut aliàs per *remotionem* indicatur hoc vel iſtud ad Metaphyſicam non *pertinere*, ut explicationes lineæ, anguli, figurarum &c. in *quantitate*; aut ad eam trahuntur *ſignatè*, quæ aliàs in *particularibus* diſciplinis uſitatioribus locum non inveniunt, ut doctrina de *abſtractione*, de *liberatione* termini ab *imperfectione*, de *analogia* &c. quæ per ſe in *Intelligentia* (diſciplina adhuc rariori) traduntur; aut cùm *occaſionaliter* per digreſſionem *commentarii* loco aliquid adducitur ad *declaranda* alia quod tamen *abſtractionem* Metaphyſicam excedit, ut *materia* & *forma* ad declarandam naturam *actus* & *potentiæ paſſivæ*; vel *ob aliqualem neceſſitatem*, cum ſc. aut objecta *reliquarum* diſciplinarum præcognoſcit (per γνῶσιν non θεωρίαν) illaque illis elaboranda tradit; aut *ſumma genera* complet, ut per *quantitatem ſitum* & *habitum*; aut *exempli* cauſa particularia adducit, ut oſtendat, univerſalia à *particularibus* ſuam habere veritatem.

V. Quânam demonſtratione utatur Metaphyſica?

Reſp.

Reſp. Metaphyſicam definimus per *ſcientiam*, ergò *demonſtratione* utitur, nam *ſcientia* eſt effectus *demonſtrationis*. Eſt vero demonſtratio vel *directa* ſ. *oſtenſiva*, vel *per impoſſibile*. Utramque adhibet Metaphyſica.

In *oſtenſiva* duplici utitur principio.

Primum eſt ipſa *eſſentia*. Ex hoc principio ita demonſtrat:

Quicquid habet *eſſentiam* realem, illud eſt *verum*.

Sed *ens* habet *eſſentiam* realem.

Ergò *ens* eſt *verum*.

Secundum eſt *affectio* priùs demonſtrata, e. g.

Quodcunque eſt *creatum*, illud eſt dependens.

Quoddam ens eſt *creatum*.

E. Quoddam ens eſt *dependens*.

Hæc quidem principia non ſunt *ſtrictè* ſic *dictæ cauſæ* ſecundum rem diſtinctæ ab effectu; Tales enim non poſſunt in Metaphyſica haberi, aliàs etiam Deo convenirent veræ cauſæ, ſi enti, quatenus ens eſt, competerent: ſunt tamen *cauſæ virtuales* eorum, quæ demonſtrantur, & tales ſufficiunt ad ſcientiam in ultima formalitate ſpectatam, uti accuratè hoc deducit Suaretz Diſp. 1. Metaph. S. 1. n. 27.

In demonſtratione *per impoſſibile* ſ. ad *abſurdum* utitur primo hoc principio: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, quod fusè explicat

cat Ariſt. 3. Met. c. 3. & 4. Et ita demonſtrat.

Si non omne *ens reale* eſt *actu*, utique quoddam ens *jam* eſt, quod *aliquando futurum* eſt demum.

Sed *conſequens* eſt *abſurdum*, quia ſic *eſſet* & non *eſſet* ſimul. eſſet, quia *ens reale* eſſet. *Non eſſet* quia *futurum* eſſet. Ergò & antecedens non minus abſurdum.

VI. Utrum doctrina de ente rectè vocetur Metaphiſica?

Sunt, qui putant, quòd rectiùs vocetur ὀντολογία ab *objecto* ſuo ad *analogiam* diſciplinarum ferè omnium, quæ *nomina* habent ab *objecto* petita. Nos quidem ſimpliciter illam appellationem non rejicimus; publicè verò eam introducendam eſſe negamus. Termini *artium* temerè non ſunt *mutandi*, ſed *juvandi* explicatione, aliàs poſteri noſtri hoſpites erunt in libris antiquorum, in quibus occurrunt iſti termini Dandum aliquid conſuetudini.

VII. An enti in potentia poſſint rectè tribui realia prædicata?

Aff. Cùm diſtinct. Attributa *denominantia extrinſecè* poſſunt illi, quod *futurum* eſt, notione temporis *præſentis* tribui, ut: Credo reſurrectionem mortuorum; Sed *intrinſecè denominantia* tantùm ſub notione *futuri*

ri tribuuntur *futuro*, ut: *reſurrectio* mortuorum *animas* corporibus rurſus *uniet.*

SECT. III. AXIOMATICA.

I. Metaphyſica eſt ſcientia *neceſſaria*, *nobiliſſima* & *utiliſſima.*

Neceſſaria, quia aliàs terminorum *communiſſimorum* turpis repetitio in omnibus diſciplinis *ſignatè* eſſet inſtituenda. *Nobiliſſima* quia *reliquis* diſciplinis *objecta* præſcribit, & omnia revocat ad *prima* principia, ex quibus tanquam *Regina* tam ſolidam ſententiam pronunciat, cui nemo ampliùs *contradicere* auſit. *Utiliſſima* explicat enim *diſtinctiones* & *terminos* in omnibus *aliis* diſciplinis occurrentes: eruit eorum formale, ut alibi tutò adhiberi poſſint: facit ad controverſiarum nodum ritè ſecandum &c.

II. *Res* antequam exiſtit, *nihil* eſt.

Si enim eſſet *aliquid*, eſſet antequam *eſſet*, cum *eſſè* nihil aliud ſit quam *exiſtere*. Diſtinguendum autem inter *nihil ſimpliciter* acceptum & *ſecundùm quid*. Hoc non datur quidem *in eſſe reali*, datur verò ſæpè in *eſſe cognito*, tanquam exiſtat, e. g. dies extremus, eclipſis, &c.

III. *Privatio* præſupponit *habitum.*

Si non ſemper *de facto*, tamen *de jure*. Privatio

vatio enim non tantùm ejus *absentiam* dicit quod *fuit* in subjecto, Sed ejus quoque, quod in esse *debuit*, licet nunquam adfuerit. *Surdus* & nat vitate nunquam habuit *auditum*, & tamen rect dicitur eo *privatus* esse. *Posteri* Adami nun quam habuerunt *concreatam rectitudinem*, & ta men *eâ* sunt *privati*.

IV. A *privatione* ad *habitum* non datur r *gressus*.
Scilicet *à totali* non datur regr. *naturaliter*. Su *pernaturali* modo omninò datur, quod resur rectio mortuorum manifestum facit.

V. Quod *æquivocè* ens est, æquivocè habe *affectiones* entis.

Hinc peccata non habent causam *efficientem* sed *deficientem*.

PARS GENERALIS.

EJUSQUE

LIBRI

De

Contemplatione entis abſoluta ab attributis.

CAPUT I.

De natura Entis, ejuſque conceptu.

PRÆCEPTA.

I. Ens eſt, quod in ſe & per ſe habet eſſentiam realem & poſitivam.

In deſcriptione data explicanda ſeq.

1.

Habere eſſentiam. Hæc phraſis non ita eſt accipienda, quaſi reale diſcrimen detur inter ens *habens* & eſſentiam *habitam*. Ens enim eſt conceptus *ſimpliciſſimus*, ut *Deo* etiam tribui poſſit, qui omnis *compoſitionis* & *diviſionis* expers eſt; ſed deſumitur à *noſtri* intellectus *imbecilitate* & concipiendi modo.

2. *In ſe* Hæc particula vult, ut non putemus illud ſtatim *ens* eſſe, quod eſt in *eſſe cognito*.

Hoc

Hoc enim non est ab *interna* constitutione rei, sed ab *extra* ipsi accedit.

3. *Per se* Hæc particula removet ens per *accidens*, de quo vide supra.

4. *Essentia realis.* Hac voce excludimus ens *rationis* & *modale*, de quibus supra egimus. Hæc enim non verè sed æquivocè tantùm entia sunt.

5. *Essentia positiva.* Hac voce excludimus *privationes* & *negationes*, ut intelligamus illud duntaxat ens; quod *reipsa* & *actu* veram entitatem *ponit* in rerum natura, non verò istud, quod *entitatem* aliquam è natura *aufert*. Cæterùm, quia in ente, non tantùm *entitas*, sed etiam *scibilitas* est consideranda, ideò hîc etiam de ejus *conceptu* agendum est.

II. Conceptus entis est *noëma*, quo ens *intellectui* repræsentatur.

Denominatio *conceptus* ex rebus naturalibus (sicut multæ aliæ) est desumpta. Sicut enim ex *conjunctione* animalium fœtus concipitur, ita ex *conjunctione* rei & intellectus *nascitur noëma*. Nam ut aliquid *intelligatur*, requiritur, ut cum *intellectu* conjungatur. Hoc verò non potest fieri secundùm *reale* esse; aliàs intelligentes *equum* ipsam *corpoream* substantiam in *animâ* gestaremus, pervestigando *naturam* Diaboli *obsessi* essemus; sed fit secundum esse *intentionale*, ita ut *per imaginem* suam *res* menti sistatur.

III.

III. Conceptus entis eſt duplex, *formalis* & objectivus.

IV. Conceptus entis objectivus eſt *abſtracta* natura entis, quam intellectus *extra* ſe quaſi in *proſpectu* collocat, ut ſuum ſit *objectum*, & per *formalem* conceptum ſibi repræſentetur.

Omnia *individualia* entia, quæ in rerum natura habent reale, actuale & poſitivum eſſe, in aliquo *conveniunt*. Hæc convenientia tam *univerſalis* eſt, ut *Deus* ipſe ad eam quoque pertineat; tam indifferens eſt, ut tàm *creatori* quàm *creaturis* competat. *Deus* enim, ſicut non *planè* ſibi *ſimile* producere potuit, ita nec potuit aliquid *à ſe* omni ratione *diverſum* efficere. Hoc enim *non ens* eſſet, quod non habet rationem *factibilitatis*. Id verò, in quo *Deus* & omnia *reliqua* conveniunt, *ens* eſt; omnia enim ſuum *eſſe* habent. Licet autem hæc res cum *iſta*, iſta cum *illa*, illa cum *alia*, omnis cum omni *in* individuo quoad *eſſendi* rationem *conveniat*, tamen ita res nondum ſunt *objectum* intellectus; eſt enim illa convenientia *individuis* immerſa, quæ quoniam *nobis infinita* ſunt, ab *intellectu noſtro* omnia (ut fatietur) exhauriri non poſſunt. Requiritur ergò, ut mediante *abſtractione* convenientia illa è ſtatu *ſingularitatis* in ſtatum *univerſalitatis* deducatur. Hoc quando fit, naſcitur conceptus *determinatus*, omnibus quidem

dem entibus ſingularibus *communis*, ab omnibus tamen etiam ope mentis *abſtractius* & *præciſus*. Hunc, licet tantùm *in mente* detur, ad modum cognitionis ſingularium *intellectius* quaſi *extra* ſe in proſpectu ponit, ſicuti *viſus* coloratum *corpus*, & quia in omnibus *operationibus* ipſi mediante *ſpecie intelligibili* objicitur, *conceptus objectivus* dicitur.

V. Conceptus entis *formalis* eſt ſpecies *intelligibilis*, de Conceptu *objectivo* formata qua ens *idealiter* præſens immediatè menti ſiſtitur ad contemplationem.

Objectum intellectivs hoc in negotio eſt *Conceptus objectivus*, ut antea dictum. Hunc contemplatur mens adhibita *ſpecie intelligibili*, quæ eſt qualitas *intentionalis* à mente producta & in mente hærens, inſtar *imaginis* repræſentans *objectum*, & tamdiu durans, quamdiu intellectus in actuali conſideratione objecti perſeverat. Dicitur *formalis*, quia inſtar *formæ accidentariæ* menti inhæret, vel quia rem in *abſtracta formalitate* menti repræſentat.

Differentiæ conceptus formalis & objectivi.

1. Conceptus *formalis* ſemper *qualitas* eſt: *objectivus* ex *omnibus prædicamentis* conſtituitur.

2. *Formalis* ſemper eſt ens *ſingulare*, licet de *univerſali* fiat: *objectivus* nunc *ſingulare*, nunc *univerſale*.

3.

3. *Formalis* semper est *ens* reale, licet etiam de ente *rationis* fiat: *objectivus* tam *ens rationis*, quam *reale*.

4. *Formalis* ab inferioribus *realiter & exclusivè* est abstractus; *nova* enim *specie* opus est intellectui ad concipiendam *substantiam*, quæ realiter diversa est ab ea, quæ concipit *ens in communi*: *Objectivus* verò non *re*, sed *ratione* est abstractus ab inferioribus; non *exclusivè*, sed *præcisivè*. Intimè enim ab omnibus *inferioribus* inhibitur, licet determinatæ *quidditates* non simul apprehendantur.

5. *Formalis* ab alio formali *realiter* discrepat, ubi inter hunc & illum conceptum objectivum sit *nulla realis* distinctio intercedit. Ut verò doctrina de conceptu plenius percipiatur, notanda sequentia.

VI. *Ens*, quatenus refertur ad nostrum *intellectum*, est in quadruplici statu; *fundamentali*, *ideali*, *universali*, & *formali*, qui status tamen intellectui non proponunt *diversa objecta*, sed unum idemque *distinctè concipi* posse indicant.

1. *Status objectivus fundamentalis est, secundum quem ens existit, & in individuis reperitur.* Hoc modo Johannes est ens, Caspar est ens, hic canis, hæc rana, hæc justitia Ariistidis, & omnia reliqua individua sunt entia. Hic status reliquis supponitur unde & *fundamentalis*

mentalis dicitur: est causa *radicalis* omnium veritatum, quæ de ente habentur, quas omnes in se continet, (ut Scotus loquitur) sc. virtualiter.

2: *Status objectivus idealis entis est, quando ens per ideam seu imaginem non solùm consideratur, prout radicatum est in individuis, sed in sua natura per præcisionem ab omnibus individuis abstracta quoque concipitur.* Ex hoc statu fluit *conceptus objectivus* entis, & *objecti* Metaphysicæ constitutio, ut & entis definitio.

3. *Status universalis entis est quando ens in individuis fundatum & à conditionibus individuantibus abstractum porrò accipit conceptum aptitudinis essendi in multis, ut per modos possit contrahi & inferioribus applicari.* Hoc in statu *ens* aptum natum est dici de *substantia*, (substantia est ens) de *accidente* de *corpore*, (corpus est ens) de *spiritu*, de *hac quantitate*, de *ista qualitate* &c.

4. *Status formalis entis est, quando ens vel in statu fundamentali, vel ideali, vel universali sumptum per speciem intelligibilem menti repræsentatur.* Intellectus enim nullum objectum, *quatenus* est objectum, *immediatè* cognoscit, sed semper per *speciem* & *ideam*, quæ sæpè iterum ab *alia* idea fit, sicut *imago* in speculo de se producit *imaginem*. Ex hoc statu fluit conceptus *formalis*, de quô in præcedentibus actum est.

PRO-

PROBLEMATA.

I. An ens in abſtractiſſima natura conſideratum habeat principia eſſendi?

Neg. Principia ſunt *eſſendi* vel *cognoſcendi*. *Eſſendi* principia dant rei eſſentiam, ut *materia* & *forma* corpori. *Cognoſcendi* princ. dant tantùm homini cognitionem de re aliquâ. *Hæc* quidem habentur de ente, & exhibentur in axiomatibns Metaphyſicis, quæ ſparguntur per totum metaphyſicæ campum. *Illa* verò negantur. Rationes

1. Si Ens in abſtractiſſima natura ſpectatum haberet principia eſſendi. Deus etiam ea haberet, quod abſurdum.

2. Si ens haberet principium *eſſendi*, *ſui ipſius* principiũ eſſet, quia tale principiũ eſſet vel *ens*, vel *modus* entis, vel *nihil*. *Nihil* non poteſt eſſe principiũ *eſſendi*. Quod *entitatẽ* non *habet*, illud eã *dare* non poteſt. *Modus* ordine naturæ ſequitur *ens*, ergò non poteſt eſſe ejus *principium*. Ergò eſſet ens. Ens verò in abſtractiſſimo conceptu non eſt *duplex*, ſed *unum* tantum. Ergò *ens* eſſet entis (id eſt, *ſui ipſius*) *principium*. Hoc vero eſt abſurdum, quia nihil fit à ſeipſo.

3. Falſa foret aſſertio Metaphyſicorum: *Omne ens eſt vel principium vel principiatum*: ſi

enti, *ut sic* sumpto, principia *essendi* ascriberentur, ut *principiato*.

III. *An conceptus entis objectivus sit unus?*

Aff. In concepto enim *objectivo* entis datur *abstractio* sine *distractione* mentis ad *plura*. Est omninò itaque *unum*, quod non est *divisum*.

Ipsa experientia testatur, quod quando audimus vocem *entis*, mens nostra non simul recipiat *plura*, ad quæ *distrahatur*, ita ut feratur eo ipso vel ad entitatem *substantiæ* vel *accidentis*, vel concipiat *creatum* vel *increatum* sed subsistit in *aliquo* tali, quod omnibus ejusmodi *expressionibus* essendi rationibus commune est.

III. *An conceptus entis formalis sit unus.*

Aff. Est enim *certum* accidens in *hoc* vel *illo* intellectu hærens, & determinatur per *hoc* aliquid *alicubi* & *nunc*.

IV. *An de conceptu formali in intellectu alius formari possit conceptus formalis?*

Aff. Est enim quid reale; Ergò potest per aliquem conceptum formalem menti repræsentari.

AXIO-

AXIOMATA.

I. Conceptus objectivus *mensuratur à re*: formalis *ab objectivo*.

Omnis conceptus est *verus* per repræsentationem, & habet suam *rectitudinem* ab eo, quod *repræsentat*, sicut *imago* in speculo à *facie* hominis, non vero á *speculo*. Quando ergo à re *abstrahitur* conceptus *objectivus*, non pro *lubitu* est formandus, sed secundùm normam rei. *Objectivus*, cùm per *formalem* repræsentatur, iterum fit ejus norma. Omnis imago æstimatur ab eo cujus est imago.

II. Ens est *generalissimum*, *supremum* & *primum* cognitum.

Platonici *unitatem* ente *priorem* fecerunt. Sed *unitas* nullibi est nisi in *ente*, est enim ejus *affectio*; ergo potiùs sequitur *simplicissimum* entis conceptum, qui in *summo* absolutus est ab *affectionibus*. *Generalissimum*, quia omnia in eo conveniunt. *Supremum* est, quia aliàs fieret progressus in infinitum, e. g. Quid est Metaphysica? est scientia Quid Est scientia? Est habitus intell. Quid est habitus Intell. Est qualitas. Quid qualitas? Est ens. Quid ens? Resp. Hic subsistendum. *Primum cognitum* est quia quando aliquid nescimus definire, vel nominare, primum

quod nobis ſuccurrit, hoc eſt: Eſt *ens.* Mens noſtra enim in ſcrutinio rerum *initium* facit à *communiſſimis* per cognitionem *confuſam.* Deinde magis magiſque ad *penitiorem* & *diſtinctiorem* cognitionem deſcendit.

III. Inter *ens* & *non ens* eſt infinita diſtantia.

Intellige diſtantiam, *non poſitivam*, qualis eſt inter rem & rem e. g. inter Deum & hominem; ſed *negativam*, quia in *nullo* habent *convenientiam.* Non nemo ex hoc axiomate probat; animas brutorum à corpore ſeparatas manere ad extremum diem, quia infinitum intervallum inter ens & non ens non poſſit expleri niſi ab infinito. Verum malè applicat regulam. Non enim ex ea hoc fluit, quòd naturaliter ex aliquo non poſſit fieri nihil, (ſpecies intelligibilis, dies heſternus, iris præterita, &c. omninò in nihil abeunt naturaliter) ſed hoc tantum intendit, quòd *ens* & *non ens* in *nullo* conveniant. Vide ſis hanc controverſiam fuſiùs deductam in meo Colleg. Phyſ. Diſput. 1. Theor. 7.

Error Philoſophorum hac in parte nimium vulgaris ne Subtiliſſimo alioqui impoſuerit Authori, haud immerito ſubveretur Editor: Ens enim à non Ente neutiquam diſtare poſſe videtur, niſi per Eſſentiã, per quam eſt Ens: Ens igitur Infinitum Sct. Deus per eſſentiam ſuam Infinitam infi-

Infinite saue distat à Non Ente: Ens autem Finitum, omnis Sct. Creatura, per Essentiam suam Finitam, finite solum à Non Ente videtur distare: Quinimo si infinite distaret, nullo pacto, ut mihi videtur, vel dari potuit Ens Creatum; cum juxta Aristotelis *Maximam optima etiam Ratione nitentem, Infinitum transiri nequeat nec à Potentia Finita, nec quidem Infinita. Ad hæc: Si Ens ut sic Infinite distaret à Non Ente, unum Ens Creatum non magis distaret à Non Ente, quam aliud quodvis (puta, Augustissimus ex Angelorum choro, quam minutissima Formica) imo nec Ipsum quidem Ens Increatum, quam Ens quodvis Creatum, à Non Ente simpliciter magis distaret; cum Distantia Infinita nullos omnino admittat Cradus.*

IV. Ens importat excellentiam, non *defectum.*

Ens *negativum* & *privativum* dicit quidem *defectum* & *absentiam* alicujus entitatis, ut suprà dictum; Sed tale quid *æquivocè* tantum dicitur ens. Quod *propriè* ens est, illud sub ratione *essendi* simul involvit *præstantiam* aliquam Hoc manifestum facit comparatio cum *non ente* & *modo.* Summum defectum importat *non ens,* quia *nihil* habet *realitatis.* Modus quidem habet *diminutam* quandam *entitatem*, quam quidam *realitatem* appellant, sed ad entis statam non accedit. *Afficit* ens, non *est* ipsum ens.

Est *aliquid* rei, non *ipsa* res. Ens ergo, quia ab his imperfectionibus longissimè recedit, omnino nobilitatem involvit. Infert autem ens excellentiam quoad essentiam *intrinsecam*, & *per se* consideratum, non quoad *statum* aliquem *accidentalem*. Per accidens enim fieri potest, ut superveniente summa miseria Præstet planè *non esse*, quam *tali* vel *tali* modo *esse*.

Autborem intelligo de Miseria non Naturali sed & morali; aliisqui nec miseria certe Summa nec Assertio forte vera esset.

CAPUT II. DE *SYNONYMIS ENTIS.*

I. Synonyma entis sunt termini, qui *eandem* cum ente habent *significationem*, vel *simpliciter*, vel cum *connotatione* alicujus respectûs.

Intelligenda sunt hic non *Synonyma Logica*, sed *Synonyma Grammatica*, quæ sunt voces planè idem significantes, quales concervat Plautus, dum dicit: Stulti, flolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones, &c.

II. Dividuntur in duas classes; nam quædam per

per *omnia* & *simpliciter* enti *æquipollent*. Quædam vero ad *significationem* entis addunt *respectum* aliquem ex usu loquendi *Philosophico*, vel vi vocis *grammaticæ* desumtum.

III. Synonyma primæ classis sunt *Essentia*, *res* & *aliquid*.

Essentia plane idem est, quod *ens*: Quidam ponunt differentiam, eo quòd *ens* se habeat ad *essentiam* uti *concretum* ad *abstractum*. Verùm ens in Metaphysicis sumitur *nominaliter* atque in *abstractissimo* conceptu: non *participialiter*, ut rationem aliquam *adjectivi* & ita *concretionem* subinde erat. Nata procul dubio est illa sententia ex conceptu vocum *Grammatico*, qui judicat essentiam *abstractiorem* ente. In sensu autem *Philosophico* nullo modo admittitur; Ita enim est *ipsissimum* ens.

Res etiam *simpliciter* cum *ente* recurrit. Nihil enim involvit *ens* quod *res* non habeat, & contra.

Aliquid non minus quam *res* & *essentia* est Synonymum *entis*. Allusio, qua *aliquid* putatur esse *aliud quid*, & ita potiùs referendum censetur ad affectionem *diversitatis*, quàm ad *Synonyma* entis, non habet in usu *Philosophico* fundamentum, sed *aliquid* idem valet atque habens *quidditatem aliquam*, in qua significatione

one ab *ente* non, nisi solo *nomine*, discrepat. Concludimus Theorema hoc ratiocinio.

Si huic principio primo, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, æquipollent sequentes locutiones: Impossibile est idem simul *habere essentiam* & *non habere essentiam*: Impossibile est idem simul esse *rem* & esse *non-rem*: Impossibile est idem simul esse *aliquid & nihil*; utique etiam *essentia res* & *aliquid* æquipollent enti.

Sed verùm est prius. Ergò & posterius.

IV. Synonyma secundæ classis sunt *Existentia*, *Quidditas*, *Natura*, *Forma*.

Hæc quidem idem significant, quod *ens*, addunt tamen in usu *Philosophico* respectum aliquem, qui simul, dum voces hasce audimus in intellectu nostro subnascitur. Nimirum.

Existentia ad significationem *entis* vi vocis addit respectum ad *causas* rei, *extra* quas res per existentiam (tanquam *extra existentiam*) sistitur, sive è *causis* suis *positivè* prodierit, sive *negativè* omnem respuat causam.

Quidditas dicit *ens* cum *respectu* ad *cognitionem* nostram; scilicet involvit simul cum *entitate scibilitatem*, quatenus id quod in se *revera* est, sit *accidentaliter* objectum nostri *intellectus*.

Natura dicit *ens* cum respectu ad *operationes* & *proprietates*, quæ acceptio procul dubio nata

est

est ex descriptione Aristotelis, quæ *naturã* dicit *principium motus*, &c. Notandum hic, quod in *Metaphysica* natura aliter sumatur, quam in *Physica*. In *hac* enim *strictè* loquendo notat *principia* corporis naturalis *interna*, & sic ad *materiata* tantùm spectat; In *illa* verò ampliatur & abstrahitur, ut indifferenter se ad *materiata* & *immateriata* habeat.

Forma etiam æquipollet *enti*; nam quodvis ens, sicut per *essentiam*, ita per *formã* est id quod est. involvit autem *hic* terminus *hunc* respectum, ut frequentius à philosophis usurpetur in applicatione ad *particulares* & *determinatas* quidditates, quam in *communi*. Hinc nati sunt termini isti Scholastici, *humanitas*; *animalitas*, *præceptoreitas*, *paternitas*, &c. quibus cujusque rei *propria* quidditas in *particulari* designatur. Forma *hæc* omni enti competit, ideò est vel *substantialis*, vel *accidentalis*, prout *illud*, cujus est forma, in *alio* atque *alio* genere reperitur. Differt hæc forma *Metaphysica* à *Physica*, per modum *totius* & *partis*. Nam *Metaphisica* forma *totam* essentiam notat; *Physica* verò *alteram* tantùm partem essentialem.

PROBLEMATA.

I. An Metaphysicus teneatur semper purè loqui?

Neg.

Neg. Cùm per totam Metaphysicam & præsertim in *hoc* & *sequenti* capite *multi* termini occurrant, qui *Tullianæ* elegantiæ candidatis frontẽ corrugare queant, cũ scilicet audiunt *realitates, formalitates, entitates, quidditates, alietates, totalitates, partialitates, personalitates, suppositalitates, hæcceitates, identitates, individualitates*; & adverbia *formaliter, idealiter, substantialiter, essentialiter, personaliter, quidditativè, signatè, exercitè &c.* ideò placet hac occasione quædam de *Philosophi* stylo inferere. Summa discursus hæc erit, quod nullo *jure* possit cogi *Philosophus*, ut, dum *Philosophica* tractat, nullis aliis vocabulis & phrasibus utatur, quam quæ in *puriori* latinitatis autoribus (nam in *hac* lingua hodie *Philosophia* traditur) inveniuntur. Rationes sunt sequentes.

1. *A necessario.* Latini sanè multas *accuratioris* Philosophiæ *subtilitates* neglexerunt. Hinc factum, ut *multis* rebus *nomina* non impotuerint. Ideò *Philosophi* eas tractaturi *necessitate* quadam inducti sunt, ut signa *articulata*, vocabula sc. facerent, quæ loco *rerum* in suis contemplationibus substituerent, secundùm illud Arist. lib. Categ. Philosopho licet ὀνοματοποιεῖν: Hac de re Gurkius intel. §. 55. ita censet: Quando neglecta est ab autoribus ἀκριβεία, vel eadem ob sublimitatem objecti apprehendi non quivit, & posteaquam à nobis animadverti-

tur,

tur, tùm multiplicatis *rebus* etiam *termini* multiplicari possunt. Scilicet 1. quando *urgens* aliqua *ratio* in propatulo est. 2. quando multiplicatio ista fundatur in *re*. Hoc privilegium est supra Reges & Imperatores, dicit D. J. Mart. l. 3. Inst. Log. c. 1.

2. *Ab incommodo.* Postquam igitur à *priscis* Philosophis *termini* multi, licet *non latini*, introducti sunt, illos iterum *eliminare* & *novos* substituere, aut ex *pura* latiniate *circumlocutiones* conquirere salus reipublicæ *literariæ* vetat. *Terminorum* mutatio cum magno *discentium* damno conjuncta est.

3. *Ab inhonesto.* Qui *vanas* contentiones de *verbis*, *phrasibus* &c. in *Philosophia* movent, illi suam hoc ipso produnt *inscitiam*. Omnes enim *artes* sua habent *vocabula*, quæ sicut non nisi ab *artifice* intelligi, ita non nisi ab eo *dijudicari* possunt; Quomodo enim iste de *artibus* rectè judicabit, qui *artes* ignorat: Ita enim *Metaphysica* habet suos *terminos*, qui non intelliguntur nisi à rerum *Metaphysicarum* perito. Istos carpere *intempestiva* sapientia est, qnæ plerisque est tædio & ludibrio.

4. *Ab honesto.* Vergit hoc ad disciplinæ *præstantiam*, quod *tales* terminos habeat, quos *omnes* non intelligunt.

Non

Non ſanè contemnuntur ideò artes *manua-rie*, quia *certa* ſibi vendicant *vocabula*, quæ *vulgus* latent; ſed potiùs *admirationem* injiciunt hominum animis. Non exigua delectatio eſt cum *pharmacopæo* poſſe omnia *pondera*, *inſtrumenta diſtillatoria* &c. cum *autumatario* omnes *rotulas*, *claviculas*, *aciculas*: cum *muſico organico* ſigna *tabulaturæ*, ordines *fiſtularum* &c. proprio & *artificibus* uſitato *nomine* appellare: Quidni etiam *Metaphyſicæ* hoc augeat *dignitatem*, quod nolit niſi à *cultoribus* ſuis intelligi.

II. An termini Metaphyſici minus latini ſint barbari?

Neg. *Fuerunt* barbari, antequam *uſus* frequens eos *confirmavit*. Poſtquam hoc factum eſt, valent ut *nummi*; nam creberrimo *uſu* à barbarie vindicati & *latinitate* donati ſunt l. 1. Et cur hoc *barbarum* dicatur, quo *accurata* ingenia imprimis delectantur, quæ non attendunt, quàm *ornatè*, ſed quàm *propriè*, quam *rotundè*, quàm *ſignificanter*, quàm *acutè* quodlibet dicatur.

III. An exiſtentia ſit affectio entis?

Neg. Sunt, qui hoc affirmant & putant quod *exiſtentia* addat enti *modum*. Ira [illegible] inferunt: Sicut *ſimplicitas* eſt *modus* [illegible]

arctatur entis *indifferentia*, quàm habet ad ens *actu* & *potentiâ*, ad *modum* essendi *actualiter*, qui significatur per *existentiam*. Verùm nititur hæc sententia nondum *probata* hypothesi, quod *ens*, quatenus est *objectum* Metaphysicæ, tam *latè* sit extendendum, ut sub se comprehendat ens & *actu* & ens *potentia*, de qua quid sentiendum sit suprà diximus.

AXIOMATA.

I. Essentia est indivisibilis.

Accipiendum verò est cum distinctione *prædicati*, quod scil. aliquid dicatur indivisibile vel *absolutè*, quod nullo modo possit dividi, uti *punctum* mathematicum; vel *secundum quid*, quod non possit dividi, ut maneat *id* quod *ante* divisionem *est*, uti *mensura* indivisibilitatem sibi tanquam *proprium* vendicat, si enim vel *minimum* e. g. ab *ulna* auferatur, non manet *integra* ulna. *Hoc*, non *illo* modo, *essentiæ* sunt *indivisibiles*. Hinc limitatur regula: Essentia, ut est *essentia*, est indivisibilis in *alias* & sibi *æquales* essentias.

II. Essentia non recipit *magis* & *minus*.

Scilicet *adverbialiter*, *per se* & *absolutè*. Goliathus non fuit *magis* homo quàm David. Essentia enim humana non admittit *gradus*, sed posita

posita est quasi in *puncto*. *Qualitates* quidem recipiunt *magis* & *minus*, verùm non *per se*, *ratione essentiæ*, quæ uno semper modo in definitione explicatur: sed *per accidens*, *ratione subjecti*, cui inhærent, Sed dicis: *Increatum* ens quando cum *creato* confertur distat ab eo *infinito* intervallo; quidni ergò *magis* ens sit Resp. Quod in *absoluta* entis theoria adhuc versemur, quæ non respicit *expressiores* rationes essendi, quibus *attributa* disjunguntur. *Comparate* concedimus, quod *Deus* sit *magis* ens quàm *creatura*; sed *absolute* & in se si consideratur *essentia* Dei & essentia creaturarum, convenìunt in *definitione* entis quam *omnia* sub definito contenta *æque* participant.

III. Unius rei una tantum est essentia & existentia.

Intelligenda regula est de essentia *completa* & *absoluta*, non verò de *incompleta* & *respectiva*. Nam alioquin *unum* ens *plures* in se continet essentias. Homo est *unum* ens, & *unam* habet essentiam, *quatenus* homo est. Interim dividitur in *animam* & *corpus* tanquam *partes* essentiales, quarum utraque etiam *peculiarem* & *propriam* habet existentiam & essentiam, *incompletam* tamen. Deinde *multæ* unius rei sunt existentiæ *respectivæ*.

CAPUT

CAPUT III

DE

COGNATIS ENTIS

ET SYNONYMORUM ENTIS.

Non inutilis labor est eorum, qui in duobus præcedentibus capitibus explicati sunt, terminorum *cognata* excutere. Nam licet *ens, natura, aliquid, essentiam, res.* &c. inter se sint *Synonyma*, tamen *conjugata* & *cognata* eorundem non perinde *coincidunt*. Æquipollentia sunt *res* & *essentia*; non verò *realiter* & *essentialiter*, nec *reale* & *essentiale*. Non æquipollent *ens* & *entitas, res* & *realitas, forma* & *formalitas*. Synonyma sunt *natura & forma: formaliter* & *naturaliter* non item. Quia ergò & in hisce *differentiis* dantur *quædam*, in quibus se *Metaphysicum* exerceat ingenium, idcirco tùm *entis*, tùm *Synonymorum* utriusque classis *cognata* ordine pertractabimus, eorumque ambignitates evolvemus,

PRÆ-

PRÆCEPTA.

I. Entis *cognata* ſunt: *eſt*, *eſſe* & *entitas*.

τὸ *eſt* in *Logica* eſt *communiſſimum* illud, quod in omni *enunciatione* reperitur. Omnis enim *enunciatio* continet verbum ſubſtantivum *Eſt*, non quidem ſemper *explicitè*, ut: homo dormit, id eſt, *homo eſt dormiens*; homo non hinnit, id eſt, *homo eſt non hinniens*.

Interdum *æquipollet* τῷ *ſignificat*, & adhibetur in *explicationibus*.

Eſſe dicitur variis modis. 1. Eſt vel *generi-cum*, vel *ſpecificum*, vel *individuale*. 2. Eſt vel *reale*, vel *poſſibile*, (quod Scotus *diminutum* vocat) prout res vel *actu* eſt, vel in *potentia*. 3. Eſt vel *reale*, quod præter mentis operationem datur; vel *cognitum* ſeu *objectivum* (Thomiſtis eſſe *diminutum* dictum) quod res habet in *intellectu*, quatenus ab eo cognoſcitur. 4. Eſt vel *Eſſentiæ*; quod eſt ipſa *eſſentia* rei; vel *exiſtentiæ*; quod rem ponit *extra cauſas*; vel *ſubſiſtentiæ*, quod *ſuppoſitis* tribuitur: vel *inexiſtentiæ*, quod *accidentibus* competit peculiariter. 5. Eſt vel *Naturale*; quod res habet extra *Intellectum*; vel *intentionale*, quod eſt imago rei vel in *intellectu*, ut ſpecies intelligibilis, vel *extra intellectum*, ut lumen; vel *propoſitionale*, quod in *veritate propoſitionis* conſiſtit, ſive res,

de

de qua *fermo* est, sit ens *reale* sive *non* ut *cæcitas est privatio.* Addi potest *Esse* vel *quidditativum*, quod de re verificât *essentialia* & *necessaria* prædicata, licet *actu* non existat; Sic dicitur In hieme; *uva* est fructus *vitis*; Vel *positivum*, quod ipso *actu* veram in natura ponit *entitatem.*

Entitas interdum sumitur pro ipsa rei *essentia*; sæpiùs verò dicit *diminutam rationem essendi*, quomodo affectiones entis dicuntur entitates. Nota: *Entitas, formalitas* & *realitas* ferè non differunt. Conveniunt enim in eo, quod dicant diminutam essendi rationem. In eo leviter discrepant, quod *entitas* & *realitas* magis materiales dicuntur; *Formalitas* vero magis *formalis* plerumque habetur. Nam gradutim *essentialium* complementum ultimum est *forma.* Isti vero gradus *formalitates* dicuntur.

II. Essentiæ *cognata* sunt *Essentiale* & *Essentialiter.* Huic revocari possunt termini: *esse per essentiam*, *de essentia*, & *extra essentiam.*

Essentiale est, quod ad essentiam rei spectat. Estque vel essentiale *absolutè*, quod rei *ut sic* tribuitur, ut risibilitas homini; vel *respectivè*, quod rei tribuitur in *hoc* vel *illo* statu; Sic *doctrina* est essentialis *homini* docto. Utrumque est vel *constitutivum* sive *à priori*, quod rem in

esse

esse constituit, ipsa sc. *essentia* (licet rariùs) vel *pars essentialis*. Sic *essentialis* est anima *rationalis* homini; Vel *consecutivum* sivè *à posteriori*, quod ex *essentia* rei per se *fluit*. Sic *essentialis* est *risibilitas* homini.

Essentialiter dicitur vel ratione *conveniendi*, vel ratione *dependentiæ*. *Convenit* autem aliquid alteri essentialiter vel 1. *Constitutivè*, vel 2. *Consecutivè* (de quibus paulò antè) vel 3. *Subjectivè* cum aliquid ad *esse* alterius tanquam *subjectum* necessario desideratur. Sic dicimus accideutis *esse* est *inesse*, sc. *subjectivè*, quia non potest *existere* in mundo nisi in aliquo sit *subjecto*; non verò *constitutivè*, nam subjectum nec est *essentia* ipsa *accidentis*, nec pars *essentialis*, sed accidens *propriam* suam *essentiam* intrinsecè habet, quam *subjecto* superaddit. *Subjectivè* etiam *proprio* essentialiter competit inesse uni & *soli* subjecto. Vel 4. *Definitivè*, sine quo *essentia* alicujus non potest *definiri*, atque *cognitioni* nostræ repræsentari. (Hoc minimo modo essentialiter rei competit) Sic *instrumentum* absque mentione *finis* & *usus*: *Habitus* absque *objecto*: *relatum* absque *correllato*, &c. nequit *perfectè* intelligi. *Dependere* quomodo aliquid ab altero dicatur *essentialiter*, vide in capite de *dependente* & *independente*.

Per essentiam esse dicitur *aliquid* vel *independenter*, sic Deus est *bonus* per *essentiam*, creatura

turæ per *participationem*; vel *constitutivè*, quomodo homo per *essentiam* est *rationalis*, quia *ratio* facit, ut *homo* sit *homo*.

De *essentia* dicitur esse aliquid vel *latè*: ita tàm latè patet, quàm terminus *essentialiter*, sumiturque omnibus quatuor modis sub eo in ratione convenientiæ recensitis; vel *strictè*: Ita *de essentia* esse dicitur tùm *pars essentialis*, ut *forma* est de *corporis* essentia; tùm *prædicatum essentiale* seu Synonymicum, ut differentia *specifica* hominis est de ejus *essentia*.

Extra essentiam sive *extra essentiale* itidem dicitur aliquid esse vel *latè*, quod res nec *absolutè*, nec *respectivè*, nec *constitutivè*, nec *consecutivè* est essentiale, ut *nobilitas* patri (Videatur terminus *essentiale*) vel *strictè*, quod non est alicujus essentiale *constitutivum* vel *absolutè* vel *respectivè*: Sic *docilitas* est extra *hominis*, & *lectio* extra hominis *docti* essentiam.

III. Rei *cognata* sunt *reale*, *realiter* & *realitas*.

Reale sumitur vel *generaliter* vel *specialiter*. *Generaliter* reale dicitur, quod verè datur in rerum *natura* extra *fictionem* mentis, sive sit ens *positivum*, sive *modus* entis, sive *absentia* quædam entis per *privationem* vel *negationem*, Sic *bonitas* entis est *realis*: *realis*, non *simulata* cœcitas erat in oculis *Bartimæi*: realis est *negatio*

gatio visus in *lapide* quia *verè* removetur, non *fictè* tantum. *Specialiter* reale dicitur, quod habet *realem* & *positivam* essentiam in rerum natura.

Realiter suas significationes accipit ex variis *oppositionibus*. Opponitur enim 1. ℳ *essentialiter*: Ita ferrum cum igne unitur *realiter* non *essentialiter*, quia *ferrum* ad *ignis* essentiam non pertinet. 2. ℳ *Virtualiter*, ita herba purgans à capra comesta, si lac capræ datur nutrici, tandem ad infantem pervenit, non *realiter*, quia *substantiam* herbæ non accipit infans; sed *virtualiter*, per *virtutem* scil. purgantem. 3. ℳ *verbaliter*, quomodo titulus *mariti* competit *uxori*, non *realiter*; sed *verbaliter*. 4. ℳ *intentionaliter*, sic Sol de se spargit lumen, non *realiter*, partem *substantiæ* cum luce quaquaversum diffundens, sed *intentionaliter*, scil. per *imaginem* lucis, quæ lumen est. 5. ℳ *idealiter*: Sic mundus ab *æterno* fuit, non *realiter*, sed *idealiter*, in mente sc. Dei.

Realiter denotat aliquid minus *re*. Accipitur enim præcipuè vel pro *gradibus essentialibus*, qui & *formalitates* dicuntur, & dicitur *realitas formalis*, ut in *temperantia* datur conceptus *virtutis*, *habitus*, *qualitatis*, *accidentis*: vel pro *modis contrahentibus*, quomodo ens per *subsistentiam* & *inhærentiam* contrahitur; vel pro *affectionibus*. Sic realitates entis dicuntur

unitas

unitas veritas, bonitas. Vel denique pro *esse cognito* in intellectu, & dicitur *realitas objectiva*. Sic eruditio acquirenda habet *realitatem* in mente, quæ eam intendit.

IV. ☞ *aliquid* cognatum est *aliquis*.

Aliquis plerumque notat *individuum* vagum & essentiæ, quæ per aliquid denotatur, addit rationem individui, ut: *aliquis* equus necessarius est ad equitandum.

V. *Existentiæ* cognatum est *inexistentia*, quæ ad existentiam addit *respectum* ad *subjectum*, & est *accidentibus* propria.

VI. *Quidditatis* cognatá sunt *quidditativum* & *quidditativè*.

Quidditativum variè sumitur. 1. *Constitutivè*, ut forma. 2. *Consecutivè*, ut risibilitas hominis. 3. *Prædicativè*, quod *essentialiter* prædicatur, ut *animal* de *homine*. 4. *Repræsentativè*, quod intellectui *repræsentat* quidditatem aliquam, ut species *intelligibilis* & *sensibilis*.

Quidditativè solet contradistingui ☞ *positivè & actualiter*, cum sc. de aliquo dicuntur *essentialia* & *necessaria* prædicata, licet *positivè* & *actu* non existat. Sic dicimus, Plato est homo. Hæc propositio vera est *quidditativè*, etiam nostro tempore licet Plato jam non *amplius* ex-

stat.

istat. Aliàs enim contradictoria esset vera, Plato non est homo. Ex hac acceptione fluit istu etiam distinctio, qua quidam distinguunt *ens actuale* in illud, quod *quidditativè* tale est, de quo semper valent prædicata *æternæ veritatis* ac si semper actu existerent; & illud, quod *positivè* tale est, ad quod semper requiritur *actualis existentia*.

VII. *Naturæ* cognata sunt *naturale*, *naturaliter*,

Hæc, quot modis sumatur, vide in capite de *naturali* & *artificiali*.

VIII. *Formæ* cognata sunt *formale* seu *formalis ratio*, *de formali*, *formaliter*, & *formalitas*.

Formale seu formalis ratio, significat *ultimatam* rei *quidditatem*, quæ ab omnibus conditionibus *materialibus* est *abstractæ*. (*Materiale seu materialis ratio* est, quæ rei tribuitur, quatenus in *tali vel tali* spectatur *subjecto*. Sic formale *unitatis* est *indivisio*: Formale *quantitatis* est *extensio*: formale *relationis* est *esse ad*. &c. *Formalis* hæc ratio ubique solicitè erudenda est. Huc spectant etiam alia, quæ, in aliquo esse habent *rationem* formæ. Sic *differentia specifica* in *toto essentiali Metaphysico* habet rationem *formæ*, & respondet *formæ Physicæ*: *genus* vero habet

habet rationem *materiæ*.

De *formali* in usu loquendi Philosophico *à formali ratione* ferè sola vocis *flexione* discrepat, in *significatione* enim vix differentia reperietur. In nonnullis tamen exemplis, quorum *formale* distinctas *formalitates* continet, si unam tantùm nominamus, dicimus eam esse *de formali*. e. g. *Corporis* formalis ratio hæc est: Esse *substantiam creatam materia & forma constantem*. In hac si mentem ad solam *materiam* dirigimus, dicimus eam esse *de formali* corporis per hanc enim ex parte *Spiritui* opponitur.

Tò *Formaliter* varias sustinet significationes, propter *aliam* atque *aliam* oppositionem. Opponitur enim 1. *τῷ eminenter*. Hinc dicuntur perfectiones *creaturarum* etiam esse in *Deo*; scilicet non *formaliter*; alias etiam accidentia caderent in Deum, sed *eminenter*. 2. *Τῷ accidentaliter*, & sic idem significat, quod *quidditativè*, ut homo *quidditativè* consideratus est *rationalis*, accidentaliter est doctus. 3. *Τῷ virtualiter*, & sic notat *formam* seu *qualitatem* in aliquo *subjecto* actualiter *inhærentem*. Sic ignis *formaliter* est calidus, Sol *virtualiter*. Non enim calor est in Sole, tanquam *qualitas* vel forma *accidentalis*, quæ inde promanare possit. 4. *Τῷ materialiter*. Hic ter-

minus respicit *vel alteram partem essentialem* corporis naturalis, *materiam* scilicet. Sic *materialiter* dicitur e. g. *leoni* competere *corruptio*. Contra *formaliter* ipsi tribuitur *visus, auditus, rugitus*; *Vel communem aliquem conceptum*. Sic corpus materialiter est substantia creata: *formaliter* verò substantia ex *materia* & *forma* constans; *Vel subjectum operationis*, in quod forma *artificialis* vel *analogum* aliquod introducitur. Sic domus sæpe *bona* est *materialiter*, quia ligna, cæmenta, calx &c. *rectè* se habent; non *formaliter*, quia nullam *proportionem* habet in *figura* externa. Sic Syllogismus sæpe est bonus *materialiter*, quia *propositiones* sunt *veræ*; non *formaliter*, quia non rectè *cohærent*; *Vel materialem rationem* (vide paulò antè) *seu conditionem specialem & contractam* alicujus termini, quæ *rationi formali* seu *abstractæ* contra distinguitur. Sic conjunctio distincti sexus competit *generationi* materialiter, quatenus scilicet spectatur in animalibus, non *formaliter*, quia non datur in omni generatione, ne *naturali* quidem. *Arbor* enim *generat* non tamen ut causa *socia*. vid.

Formalitas interdum denotat totum *conceptum essentiæ*, & sumitur pro ipsa forma *Metaphysica*, ut *caninitas*: frequentius verò *gradus* tantum *essentiales* significat, ut *animalitas*

malitas, corporeitas, subſtantialitas &c, in cane, & ſic à *forma* differt ut *pars* à *toto*. In una re *una* tantum eſt *forma*, ſed *multæ formalitates*.

PROBLEMATA.

I. An omne quod rei verè competit, ipſi tribuatur vel eſſentialiter, vel accidentaliter? Neg.

Multa rei verè competunt, quæ non eſſentialiter ei tribuuntur, nec tamen ſtatim accidentaliter & inhæſive. Vere Deus eſt creator mundi, ſed nec *eſſentialiter*, nec *accidentaliter* per inhæſionem.

Vere renatus eſt juſtus, Juſtitia verò aliunde ipſi imputatur. Ita ergo dicendum: Quicquid rei vere competit, illud competit ipſi vel eſſentialiter: vel non eſſentialiter & extra eſſentialiter.

Hoc modo habemus immediatam oppoſitionem.

II. An omne, cui competit eſſentiale, dicatur etiam eſſentialiter?

Neg *Forma* & *materia*, ſi in *uniore* ſunt conſtitutæ, ſunt *unum eſſentiale*, hoc eſt, con-

ſtituunt ambæ in *unione* unum *eſſentiale*, quia ſunt unius *eſſentiæ* partes *eſſentiales*; non vero ſunt unum *eſſentialiter*, quia forma non eſt *materia*, nec materia eſt *forma*.

AXIOMATA.

I. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.

Hoc axioma eſt *principium* cognoſcendi omnium *primum*, cui fidem adhibet quivis, licet non doctus ſit illud, quia nobiſcum natum eſt. Intelligendum verò eſt, non tantùm de *eſſe* & *non eſſe* præciſè in ſummâ *abſtractione*, ſed & de *hoc* vel *illo* eſſe *determinatè*. Sicut enim rectè dico: Impoſſibile eſt *ens* eſſe & non eſſe ſimul; ita recte quoque dico: Impoſſibile eſt *hominem* ſimul eſſe & non eſſe & impoſſibile eſt idē ſimul *ineſſe* eidē & *non ineſſe*. Ad hoc principium debent reduci, aut ſaltem reduci poſſunt omnes concluſiones & omnia axiomata, quæ in Metaphyſicis habentur. Omne enim, per quod concluſio aliqua probatur, ſi non eſt *primum* principium, (quod eſt indemonſtrabile,) per *prius* aliquod iterum probari poteſt: illud iterum per aliud, donec ad *primum* deveniamus, in quo *ſubſiſtendum*. In illis enim *terminatur* demonſtratio, ne detur *proceſſus* in infinitum.

II. Non

II. Non omne reale est simul essentiale.

Reale enim, ut supradictum, in generali significatione tantum denotat *veritatem competentiæ*; Essentiale verò ad veritatem competentiæ addit ejus *specialem* modum, ut competat aliquid rei *necessariò*. Sed tribui aliquid rei *verè* potest, quod non hoc aut illo *veritatis* modo tribuitur. *Realis* unio est cultri & ignis, quando culter est ignitus; non vero *essentialis*, quia *terminus* unionis non est *nova essentia*, sed *unum per accidens*. *Realis* attributio est, cum homo *Metaphysicus* dicitur, non essentialis.

III. Essentiale *respectivè* non statim est essentiale *absolute*.

Quid *hoc* & *istud* sit, diximus sub præcepto secundo, unde apparet, quod ab *illo* ad hoc non liceat argumentari. Homini, *quatenus pater* est, essentiale est, habere filium; non verò *quatenus homo* est, aliàs infans non esset homo.

IV. Quod est de *materiali* rei vel termini, non est in *formale* ejus inferendum.

In omni conceptu considerandum est, quod de *formali* importat, nec de *termino* judicandum, quatenus in hac vel illa *specie* re-

petitur, ſed ex eo, quod in modo *abſtractionis* infert. Ratio axiomatis hæc eſt, quia, dum *materiales conditiones* inferuntur in *formale*, fit confuſio *accidentalis* cum *eſſentiali*.

PAR.

PARTIS GENERALIS
LIBER II.
De Contemplatione Entis expressiore in attributis.

DOCTRINA GENERALIS.

CAPUT I.
De Attributis seu Affectionibus Entis in genere.

Metaphysicam esse *scientiam*, demonstravimus in procœmio. *Scientia* verò per *demonstrationem* acquiritur. *Demonstratio* autem in *affectionibus* infallibiliter probandis est occupata. Ergo & *Metaphysica* habebit *affectiones*, quas de *Ente* demonstret, modo scil. eo, quem p. 28. descripsimus. Absoluta ergo *simplici* Entis contemplatione, quâ consideravimus *primum essendi momentum*, quod *præscindit* ab omni *attributo*, pergimus ad contemplationem Entis quodammodò *expressiorem* & *strictiorem*, qua considerabimus Ens in *secundo*

essendi momento, quod exhibet *Ens* cum aliquo *attributo* & in alio statu.

PRÆCEPTA.

I. *Affectiones* Entis sunt *conceptus* generalissimi, qui ex *Ente* per se fluunt, de eo *paronymicè* & *convertibiliter* prædicantur, illudque in alio atque alio *statu* repræsentant.

§. 1. *Affectiones* entis fortiuntur varias appellationes. Communissimo vocabulo vocantur *affectiones*, quia Metaphysica *scientia* est, cujus natura requirit, ut *demonstret* aliquid de *objecto*, quod *afficit* illud. Nec obstat, quod *affectio Realiter* tanquam *peculiare* Ens debeat esse *distincta* ab eo, cujus est *affectio*. Hæc enim *conditio* tantum *materialis* est, & non requiritur ad affectionem *absolutè*, sed ad *talem*, nempe *prædicamentalem*. *Affectiones* corporis, *qualitas*, *quantitas*, &c. *realiter* differunt à *corpore*, ut *res* à *re*: Non ita affectiones *Entis*. Ideò cautè hîc distinguendum est inter affectiones *prædicamentales* & *transcendentales*. Et licet olim terminus *affectionis* tantùm *prædicamentalibus* applicatus & ita *contractius* usurpatus fuerit; tamen, quia jam habemus conceptus, qui omnia prædicamenta *transcendunt*, & tamen non minus

nius quàm *prædicamentales* affectiones *subjectum* aliquod *afficiunt, illudq; proximè, à posteriori παρωνύμως, & reciprocè denominant,* (in quo *ratio formalis affectionis* consistit) ampliandus est terminus, ut & hi sub eo comprehendi queant.

§. 2. Aristoteles 1. Rhet. & alibi passim vocat πάθη seu *passiones*, quæ rei adsunt extra ejus *essentiam*. Hinc Metaphysici *Entis* quoque *affectiones* ita sæpè appellant.

§. 3. Alii affectiones vocant *proprietates*, appellatione ex *Logica* desumpta, quæ prædicata *extra essentialia, necessario* subjecto competentia, *propria* appellat. Hic terminus tamen, cum in Metaphysica adhibetur, iterum non ad angustias *Physicæ proprietatis* redigendus est, cum *propria Entis non ut accidens* aliquod *subjecto* inhæreant, sed ad modò dictum modum ampliandus est.

§. 4. Quidam *affectiones* etiam vocant *Conceptus transcendentes secundarios*, quia æquè ac *Ens* omnia *prædicamentorum* genera *transcendunt*, verùm non æquè *primo*. *Entis* enim *conceptus primùm* terminat *intellectum* nostrum: *affectiones* verò non *primò* à nobis apprehenduntur, sed *consequuntur* demum *primum* & *summum* conceptum, qui ipsis loco *fundamenti* est.

§. 5. Usitata est etiam appellatio *affectio-*

num, quâ dicuntur *modi*. Hæc vox ambigua est, quod in Exercitationibus deduximus.

Hic accipitur quatenus *in communissimâ attributione παρωνύμως Ens* afficit. Sic *veritas* afficit omne *Ens* tanquam aliquod *extra essentiale*. Sic *necessarium* & *contingens*, sic *causa* & *causatum*, &c. afficiunt Ens *παρωνύμως*, in *communissima* tamen *attributione*, quia de *omni* Ente dicitur, quod sit *causa* vel *causatum*, *necessarium* vel *contingens*, &c.

§. 6. Tandem *affectiones* etiam alio nomine vocantur *attributa*, & ita rectiùs eas dici statuunt nonnulli, veriti forsan, ne per vocem *affectionis* enti *essentiam* aliquam *novam* superaddant. Verùm, si *affectio* debito modo ampliatur, hoc periculum non subest *termino*. Et sic penetrantius dicuntur *affectiones*, quàm *attributa*, quia hæc interdum rem denominant *extrinsecè*.

§. 7. Ab *appellatione* transimus ad illud, quod *generis vicem* sustinet in data affectionum *descriptione*. Id dicimus esse *conceptum generalissimum*. Nam cum *Ente* æquè latè patent *affectiones*, cum nullum possit Ens inveniri, cui non vel *simpliciter*, vel sub *distinctione* aliqua conveniant.

§. 8. *Differentiam* quasi in descriptione dant *reliquæ*. Dicimus enim primò, quod affectiones *ex Ente per se fluant*. Habent enim

nim se ad *Ens*, ut *essentialia consecutiva*. Unde simul patet, quod competant Enti *à posteriori*, scilicet in ordine *cognoscendi & concipiendi*, quod sufficit ad naturam *affectionis*. Prius cognoscimus *Ens* quam *unitatem* ejus. Nam antequam de aliquo aliquid dicimus, illud quodammodo scimus. *Ignotum* non movet *intellectum*.

§. 9. Dicimus porrò, quod *paronymicè de ente prædicentur affectiones*. Hoc ipso insinuatur differentia inter *affectiones* entis & *species* entis, quæ ad partem specialem Metaphysicæ pertinent. *Species* respiciunt ens, *synonymicè & in adstracto*. *Affectiones* verò respiciunt ens *paronymicè & in concreto*. De *substantia* dicitur in *abstracto*, substantia est *ens*, non ita de *bonitate*, bonitas est *ens*, quia tantum est *modus*; sed in *concreto* valet; *bonum* est *ens*.

§. 10. Nec prætereundum est, quod in descriptione dicitur, *affectiones prædicari de ente convertibiliter*, id est, posse cum ente *reciprocari & converti*. Nam quemadmodum dicimus, omne ens est unum, ita *reciprocè*, omne unum est ens; & ita porrò in reliquis.

§. 11. Tandem *affectiones* etiam distinctos *status*, seu *rationes conceptibiles* in ente repræsentant. Una *res* est ens, & multis gaudet *modis*, quas quia mens nostra *unico adæquato* conceptu

conceptu non poteſt *omnes* apprehendere, ideò *eſſentiam* jam ſub *hoc*, jam ſub *alio modo* concipit, unde diſtincti entis *ſtatus* oriuntur. Sic cum ens dicitur *unum*, repræſentatur in ſtatu *indiviſionis*: cum dicitur *perfectum*, in ſtatu *indefectionis*, cum dicitur *verum*, in ſtatu *conformitatis* ad *intellectum* præſertim *Dei* repræſentatur.

II. Affectiones entis dividuntur in *unitas* & *disjunctas*.

III. *Unitæ* ſunt, quæ *ſimpliciter* & *ſolitariè* de ente prædicantur, & abſque *conjunctione* cum eo *reciprocantur*. e. g. *verum, bonum*.

IV. *Disjunctæ* ſunt, quæ ſub *disjunctione* de ente prædicantur, & ſub complexu utriuſque disjunctionis membri cum eo reciprocantur, *e. g. ens eſt vel neceſſarium vel contingens, & quicquid eſt vel neceſſarium vel contingens, eſt Ens*.

Fundamentum noſtræ diviſionis præcepto ſecundo traditæ præbent ipſæ affectiones. Quædam enim ita ſe habent; ut ſingulæ in *ſenſu unito* de quovis ente dicantur, & *unitim* cum eo recurrant. De omni ente dicitur, quod ſit *verum*, ſit *bonum*, & *reciprocè*. Quædam verò non *ſimpliciter*, ſed cum *disjunctione* de omni ente dicuntur, & in ſenſu *diſjun-*

ctio

tio cum eo recurrunt. De omni ente non possum dicere quod sit *necessarium*, nec de omni, quod sit *contingens*, sed *quoddam ens est necessarium, quoddam est contingens.* Hæ duæ *particulares* tamen si *conjunguntur*, totam exhauriunt entis *latitudinem*, ut sub *disjunctione* liceat dicere: Omne ens est vel *necessarium* vel contingens, tertium non datur.

PROBLEMATA.

I. *An omnes affectiones respiciant ens paronymicè & in concreto? Aff.*

Prædicantur enim de suo subjecto, *ente* scil: *extra essentialiter*, quæ est natura *paronymorum.* Quod *in concreto* respiciant ens, hoc probat usus loquendi philosophicus, itidem natura *paronymorum.* Non dicimus: ens est *unitas*, sed est *unum.*

II. *In quo statu competant enti affectiones?*

Quadruplicem *statum* entis consideravimus supra; quod scil. sit vel *fundamentalis*, vel *idealis*, vel *universalis*, vel *formalis.* Ex his *enti*, quatenus *affectiones* suas respicit, maximè competit *universalis* & *fundamentalis. Hic* propterea, quia toti doctrinæ affectionum *fundamentum* præbet. Nisi enim ens, quatenus

tenus in *individuis radicatur*, haberet *affectiones*, non posset in *genere* de ente dici, quod istis sit præditum. Nisi *hoc* & *istud* & *illud* &c. ens esset *unum*, non possem dicere in genere *ens* est *unum*. *Ille* verò ideò enti convenit, quia non *semper*, nec *primariò* (ubi *species* dantur) tractamus *individua*, sed plerumque *speciem* consideramus, quatenus *ens* est, licet possit descensus fieri ad *individua*. Sic dicimus, *homo*, quatenus *ens* est, (nam quatenus *homo* est, est *risibilis*) est e. g. *dependens*, licet possit hoc ipsum quoque dici de *Paulo* & *Johanne*.

III. An affectiones differant ab ente realiter?

Quidam statuunt affectiones ab ente *realiter* differre, scilicet secundum *analogiam*. Quidam hoc ipsum aliis nominibus efferunt, & dicunt, quod differant *modaliter*, s. *ex natura rei*. Alii quod *formaliter*, s. *secundum rationem tantùm* distinguuntur: & horum nonnulli in suis scriptis fluctuant, ut non possis scire, quid sentiant. Nos breviter ita hanc controversiam decidemus, quod quædam *formaliter*, ut *unitas* unius indivisibilis, *bonitas*, *dependentia*, &c. quædam verò *realiter* ab ente differant, quæ *non-mutuâ* separatione præsertim cognoscuntur, ut *unitas* unius indivi-

divisibilis: e. g. *anima* & *corpus* in *vita* sunt *unita*, in *morte* perit *unio*. Sic *compositio* se habet, e. g. *elementa* in corpore *misto* sunt in statu *compositionis*, cum *corrumpitur* mistum, perit illa *compositio*. Ita etiam se habet *communicatio*, e. g. *anima* quamdiu in corpore *habitat*, corpori *communicat* suas facultates; postquam recessit, cessat *communicatio*.

IV. An affectiones inter se differant realiter?

Distinguendum inter modos *tantùm distinctos*, & *simul oppositos*. *Illi* inter se differunt *formaliter*, ut *unitas*, *bonitas*, &c. sunt *distinctæ*, non *oppositæ* affect. *Isti* verò distant *realiter*, ut *causa* realiter differt à *causato*, *dependens* ab *independente*, &c, propter oppositionem, quæ *eodem* respectu *simul* non potest esse in *uno* subjecto.

AXIOMATA.

1. Affectiones *enti* competunt, non entis *modis*.

Duæ hic distinctiones sunt observandæ: 1. Modus sumitur vel *abstractè*, quatenus præscinditur ab *essentia*, & in suâ *formali* ratione consideratur. Ita valet regula; vel

concre-

concretè, quatenus simul implicat essentiam. Ita non valet regula, quia *essentiæ*, quæ sub tali modo *concretè* latitat, omninò conveniunt *affectiones*. Rectè dico, omne *dependens* est *finitum*. 2 Competit aliquid alii *primariò*, alii verò *secundariò* & secundum *analogiam*. Affectiones *primariò* competunt *enti*, *secundariò* & *anal.* etiam *affectionibus*. Sic *unum* dicitur vel *simplex* vel *compositum*. *Absolutum* & *respectivum* in omnibus ferè *affectionibus* occurrit: distinctio *realis* secundum *analogiam* competit *modis* quoque *oppositis*, &c.

II. Affectiones *enti* non addunt aliquid *positivi*.

Omne enim *positivum* specialiter dictum *ens* est, & omne *ens* habet *affectiones*. Ita *affectio* iterum haberet suas *affectiones*, quia *ens* esset; ipsius *affectiones* iterum *aliàs*, quia vicissim *ens* essent, & sic in *infinitum*. Istud, quod addunt, est cujusvis affectionis *propria conceptibilitas*, quam à conceptu essentiæ *distinctam* habet. Ista verò conceptibilitas consistit vel in *negatione*, ut conceptus *unitatis* in *indivisibilitate*; vel in *respectu*; ut conceptus *causati* respectum involvit ad *causam*; vel in *peculiari statu*: quomodo elementum *alio* in *statu* est, antequam *mistum* intrat, quia tum est *completum*, & vicissim in *alio*, quando

do *mistum* cum *aliis* constituit, sic enim est *incompletum.*

III. Affectio non *exterminat* ens, sed *determinat.*

Modus sequitur *rem*, & accommodat se ad indolem *entis*, non verò ipsi *opponitur.* Sed posset objici, *corruptibilitas* est *affectio* entis; ista verò *destruit* rem, cujus est affectio. Resp. Verus sensus axiomatis hic est: *Nulla affectio est contradictoria suo subjecto.* Quando ergò dico, *creatura* est *corruptibilis*, nulla inest propositioni *contradictio*: prædicatum non *repugnat* creaturæ, sed ejus *naturam* arguit, quod non sit *immutabilis*, quia alias *Deus* esset.

DO-

DOCTRINA SPECIALIS.

DE Affectionibus in ſpecie.

TRACTATUS PRIOR. De *Affectionibus unitis*

CAPUT II. De *Affectionibus unitis in genere.*

PRÆCEPTA.

I. Affectiones *unitæ* ſunt vel *primariæ* vel *ſecundariæ.*

Diſtinctio hæc *unitarum* affectionum inde pronaſcitur, quia *quædam* eorum, quæ *ſimpliciter* de ente prædicantur, magis *intrinſecè* cum *eſſentia* ejus ſunt *connexa*, adeoque ipſam eſſentiam *penetrantius* ſub ſua *conceptibilitate* exprimunt: *quædam* verò non *extrinſecus*

secus essentiam rei implicant, & magis *fines* essendi, quam ipsum *esse* involvunt. *Ista* dicimus affect. *primarias*; *hæc* vero *secundarias*.

II. Affectiones unitæ *primariæ* sunt tres: *unitas, veritas, bonitas.*

Hæc inter se *differunt* ut absolutum, respectivum, & indifferens. Nam *unitas* est affectio entis *absoluta*, quæ absque ullo respectu simpliciter essentiam sub indivisione denominat. *Veritas* est proprietas *respectiva*, quæ in suâ conceptibilitate subinfert relationem ad intellectum, eamque enti essentialem à posteriori. *Bonitas* verò *indifferenter* se habet ad absolutum & respectivum. Bonum enim dicitur aliquid vel *in se*, vel in *respectu ad aliud*. Bonum *in se* alio nomine *perfectum* dicitur: Bonum *ad aliud* peculiari nomine caret, & generis sui appellationem retinet, ita ut bonum in specie dicatur.

III. Secundariæ sunt: Duratio, ubietas, & cognoscibilitas.

PROBLEMA.

I. An perfectio transcendentalis sit entis affectio; & si affectio?

II. An pertineat ad disjunctas, an verò ad unitas

unitas; & si ad unitas?

III. An peculiaris sit affectio?

IV. An verò ad bonitatem sit referenda?

Deliberandum diu, quod statuendum semel. De *perfectione transcendentali* magna apud Metaphysicos inueniuntur dissensiones. Alii eam planè è Metaphysicis affectionibus exterminant. Alii, licèt eam admittant, locum tamen competentem ipsi non assignant. Ad quatuor autem potissimum sententias revocari possunt diversa Philosophorum judicia.

1. Sunt, qui contendunt, *perfectionem transcendentalem* non esse *affectionem* entis, sed *ipsam ejus essentiam*, alio tantùm *nomine* expressam, & ideò potiùs ad *Synonyma* esse reducendam, uti res, aliquid, natura, &c. Rationem dant hanc, quia *nihil* addat enti. Resp. *Positivum* quid *rigorosè* dictum non debet addere enti *affectio*. Propriam autem *conceptibilitatem* quod non addat, falsò putatur. Omninò superaddit enti *negationem defectus in esse*, id est, dicit *nihil* eorum *abesse*, quæ ad *essentiam* rei requiruntur. Sed dicunt, sine *perfectione essentiali* non potest ens concipi, ergò non habet *propriam conceptibilitatem* à conceptu *entis* distinctam. Ast quidni possit? Cum concipimus essentiam *præcisè*, concipimus

cipimus quidem rem *perfectam*, interim tamen non simul intellectus noster *distincto* & *expresso* conceptu intuetur ipsam *indefectibilitatem*, etsi ipsa *implicetur* sub voce *essentiæ* (uti Dn. Scheiblerus loquitur) Quemadmodum, cum *essentiam* apprehendimus, ita tamen, ut non simul *distinctè* & *expressè* penetremus *indivisibilitatem*. Ergo *perfectio* habet *propriam conceptibilitatem*, & per consequens *formaliter* ab *ente* distinguitur. Contra hanc primam sententiam facit & hoc, quod *perfectio* de *ente* non συνωνύμως, ut ipsam *essentiam* exprimat, sed tantum παρωνύμως dicatur, quod *affectionum* indolem arguit (cæteris paribus) Rectè dicimus, *ens* est *perfectum*: perperam, *ens* est *perfectio*, sic enim recepto usui loquendi *Philosophico* vis infertur.

2. Statuunt non pauci, eam numerandam esse *inter disjunctas*, ut dicatur: omne ens est vel *perfectum* vel *imperfectum*, etiam tum, quando de perfectione *essentiali* res est. Ad illud obtinendum *hoc* atque *illud* ens imperfectum producunt, utpote *dispositionem* ad habitum, quantitatem *crescentem*, *infirmam* fidem, *motum*, &c. Nos imperfectionem *accidentalem* in plerisque horum & similibus dari facile damus; sed à Metaphysico *essentiali*, quæ *transcendentaliter* ens denominet, & in ipsa essentia *defectum* esse dicat, postulatur,

Hanc

Hanc nullo modo dari, neque allegatis exemplis ineſſe affirmamus. Primum & invictum principium eſt : *Impoſſibile eſt idem ſimul eſse & non eſſe.* Ergo impoſſibile etiam eſt, quoddam, quod *eſt*, non habere *omnia*, quæ ad *eſſe* requiruntur ; *eſſet* enim & *non eſset* ſimul. *Eſset*, quia *ens* vocatur, *non eſset*, quia non omnia haberet ad *eſsentiam* neceſſaria, quæ tamen in *indiviſibili* conſiſtit, adeo, ut vel tota *adſit* vel tota *abſit*.

3. Dantur etiam, qui ſtatuunt, quod *perfectio* conſtituat *peculiarem* inter *unitas* primarias *affectionem*. Ratio eorum hæc eſt, quia datur adhuc aliquod *prædicatum*, quod ab ente *poſitivo reali actuali* formaliter differt, illud *adæquate* & *reciproce* denominat & modificat, & tamen ad nullam reliquarum *unitarum* referri poteſt. Illud vocant *perfectionem*, cujus *propriam conceptibilitatem* dicunt eſſe *negationem defectionis*. Verum *termini* præter *neceſſitatem* multiplicandi non ſunt. Non ſine gravi cauſa deſerenda eſt veneranda antiquitas, juvandi potius ſunt, quam de ponte dejiciendi ſenes, Nos putamus, quod poſſit commode ad *bonitatem* referri.

4. Quarta ergo ſententia de *perfectione*, quæ mediam viam tenet, noſtra eſt, quod ſcilicet *perfectio* ad *bonitatem* referenda ſit. Fundamentum noſtræ ſententiæ poſitum eſt

in

in notissima illa distinctione, qua *Bonum* dicitur vel *absolute*, vel *respective*. *Bonum absolute* sic dictum est ipsum *perfectum* formaliter. *Bonum respective* dictum est illud, quod communiter hoc nomine venit. Pleniorem deductionem ad caput de bonitate reservavimus.

CAPUT III.

DE UNITATE.

PRÆCEPTA.

Æquivocationis evolutio.

I. *Unitas* est vel per *se* vel per *accidens*. Unitas per *se* est, quæ sine complexione *plurium* entium *completorum* exhibet *ens* per *se*, quatenus illud est *indivisum* in sua *essentia* vel *hypostasi*. Unitas per *accidens* est, quæ *plura* entia *completa* per *extrinsecalem* conjunctionem redigit ad *aliquam* indivisionem, & ita *ens* per *accidens* exhibet. Fit hæc vel per *concretionem*, vel *aggregationem*, vel *consociationem*.

§. 1. Unitas *per se* mox pluribus explicabitur Theor. 3.

§. 2. Uni-

Hanc nullo modo dari, neque allegatis exemplis ineſſe affirmamus. Primum & invictum principium eſt : *Impoſſibile eſt idem ſimul eſse & non eſſe.* Ergo impoſſibile etiam eſt, quoddam, quod *eſt*, non habere *omnia*, quæ ad *eſſe* requiruntur ; *eſſet* enim & *non eſset* ſimul. *Eſset*, quia *ens* vocatur, *non eſset*, quia non omnia haberet ad *eſsentiam* neceſſaria, quæ tamen in *indiviſibili* conſiſtit, adeo, ut vel tota *adſit* vel tota *abſit*.

3. Dantur etiam, qui ſtatuunt, quod *perfectio* conſtituat *peculiarem* inter *unitas* primarias *affectionem*. Ratio eorum hæc eſt, quia datur adhuc aliquod *prædicatum*, quod ab ente *poſitivo reali actuali* formaliter differt, illud *adæquate* & *reciproce* denominat & modificat, & tamen ad nullam reliquarum *unitarum* referri poteſt. Illud vocant *perfectionem*, cujus *propriam conceptibilitatem* dicunt eſſe *negationem defectionis*. Verum *termini* præter *neceſſitatem* multiplicandi non ſunt. Non ſine gravi cauſa deferenda eſt veneranda antiquitas, juvandi potius ſunt, quam de ponte dejiciendi ſenes, Nos putamus, quod poſſit commode ad *bonitatem* referri.

4. Quarta ergo ſententia de *perfectione*, quæ mediam viam tenet, noſtra eſt, quod ſcilicet *perfectio* ad *bonitatem* referenda ſit. Fundamentum noſtræ ſententiæ poſitum eſt

in

in notissima illa distinctione, qua *Bonum* dicitur vel *absolute*, vel *respective*. *Bonum absolute* sic dictum est ipsum *perfectum* formaliter. *Bonum respective* dictum est illud, quod communiter hoc nomine venit. Pleniorem deductionem ad caput de bonitate reservamus.

CAPUT III.

DE UNITATE.

PRÆCEPTA.

Æquivocationis evolutio.

I. *Unitas* est vel per *se* vel per *accidens*. Unitas per *se* est, quæ sine complexione *plurium* entium *completorum* exhibet *ens* per *se*, quatenus illud est *indivisum* in sua *essentia* vel *hypostasi*. Unitas per *accidens* est, quæ *plura* entia *completa* per *extrasentealem* conjunctionem redigit ad *aliquam* indivisionem, & ita *ens* per *accidens* exhibet. Fit hæc vel per *concretionem*, vel *aggregationem*, vel *consociationem*.

§. 1. Unitas *per se* mox pluribus explicabitur Theor. 3.

§. 2. Uni-

§. 2. Unitas *per accidens* non *uno*, ſed *pluribus* entibus abſolvitur, quod deſcriptio noſtra expreſſe indicat. Quæ enim *unum* per *accidens* dare debent, non poſſunt inter ſe eſſentialiter idem eſſe.

§. 3. Porro *plura* illa *entia*, ex quibus *unum* per *accidens* conſtituitur, *completa* ſint oportet, cum *incompleta* ordinentur ad *individuum* aliquod per *ſe* conſtituendum. E. G. Quando *materia* & *forma* uniuntur, licet *plura* ſint, tamen *unum* per *ſe* inde reſultat; ſunt enim duo *incompleta* entia, quæ per modum ἐντελεχείας & δυνάμεως ſe reſpiciunt. Hoc modo ad ſe invicem ſe non habent entia *completa*. Ferrum, ſive cum igne, ſive cum auro, vel quacunque alia re conjungatur, non aliud niſi *unum* per *accidens* cum eo conſtituit. Hinc nata eſt regula Philoſophica: Ex *duobus completis* non fit *unum per ſe*.

§. 4. Requiritur etiam ad *unum* per *accidens* *conjunctio extraeſſentialis* deprompta ab aliqua σχέσει, quæ enti ipſi, *quatenus* ens eſt, *intrinſece* non competit; qualis *habitudo* eſt, cum propter unitatem *loci*, aut *temporis*, aut *alius* cujusdam conditionis *extrinſecæ* quibuſdam actu *diviſis* entibus tribuitur aliqua *unitas*: ut cum *multi* homines ſunt in *uno* templo, *multi* ſimul *eodem* tempore vivunt: *multi* ſimul *unam* conſtituunt rempublicam, &c.

§. 5. *Termi-*

§. 5. *Terminus* conjunctionis *plurium* eorumque *completorum* entium est *aliqua indivisio.* Quæcunque enim de *unitate* aliquo modo participant, illa quodammodo etiam ad *indivisionem* tendunt. Qualiscunque *unitas* qualemcunque infert *indivisionem.* Cum autem plures dentur gradus *divisionum* qui *unitati* obstant, non *universos* negat hæc *indivisio*, sed per certi gradus remotionem *unum* tale per *accidens* constituit. Sic exercitus *indivisio* negat *divisionem* respectus ad *diversos* duces. Sic *indivisio* aquæ falsæ negat *divisionem* localem. Unde & hoc patescit, quod *unum* per *accidens* recipiat *magis* & *minus*. *Magis unum* per *accidens* est, quod admittit distantiam *localem* (*expressissimum* istum *divisionis* gradum) ut exercitus; quam quod sine *hac* distantia *unum* est, aqua falsa, ferrum ignitum, &c. quia illud magis ab *uno* per *se* ejusque natura recedit: hoc vero propius ad ejus indolem accedit.

§. 6. *Unitas* per *accidens* fit vel per *concretionem*, quando scil. *accidens* cum suo *subjecto* (ut in *homine docto*) vel etiam *accidens* cum *alio subjecto* conjungitur, & quasi concrescit, ut *Matheseos* & *Medicinæ* in *Medico Mathematico*; Vel per *aggregationem*, qua *plures* res per *se* divisæ, sive *cum*, sive *sine* aliquo ordine per conjunctionem aliquam accidentalem *indivisionem*

sortiuntur. *Cum* ordine *aggregatum* est e. g. respublica, & dicitur *ordinatum: sine* ordine, e. g. strues lignorum, & dicitur *inordinatum*; Vel per *consociationem*, quæ plerumque inter contactum *localem*, quo res vel *leviter cohærent*; & per externam *appositionem* sibi junguntur, ut per gluten, suturam, &c. vel suo modo *intrinsecus se permeant*, (licet citra unionem essentialem, quæ constituat unũ per se) ut fit in aqua calida.

II. Unitas est vel *rei* vel *rationis*. Unitas *rei* est, quæ citra omnem *intellectus* operationem enti *intrinsece* in statu *singularitatis* competit. Unitas *rationis* est natura aliqua *communis*, per operationem *intellectus* à multis *abstracta*, & aptitudinem habens *essendi in* multis.

§. 1. Hanc *distinctionem* quidam referunt ad *disjunctas* entis *affectiones*, ut vi istius dicatur omne ens est vel *universale* vel *singulare*. Verum *affectiones* sunt *reales*, & competunt enti præter *mentis* nostræ operationem *intrinsece*. Ergò illam an *distinctiones* unitatis referimus easque non *reales*, sed *nominales* tantum, quæ nuda unitatis *æquivocatio* per istam insinuatur.

§. 2. *Universalitas* vero seu unitas *rationis* sumitur vel *materialiter*, pro *convenientia* multorum singularium in *aliquo esse*, & sic dicitur universalitas *in multis*, ut homo videt, leo vi-

et

det, equus videt, ergo visus universaliter iis inest. Vel, *formaliter*, pro natura *abstracta* à singularibus, & *præcise* sub unitate repræsentata, quæ *divisim* in pluribus multiplicari potest; & sic dicitur universalitas *post multa*. Sic ab homine & bruto *abstrahitur* animalitas.

§. 3. Porro universale est vel in *causando*, scilicet *causa* universalis: vid. cap. 16. vel in *prædicando* scilicet *propositio* universalis; vel in *essendo* ad quod (ut ex præcedentibus patet) requiritur *realis* multiplicitas & *mentalis* unitas: vel in *cognoscendo*, scilicet *signum* aliquod, sive *in* animo sive *extra* animum, quod plura repræsentat.

§. 4. Unitas *rationis* seu universalitas per se non spectat ad contemplationem *unitatis*, quia *re* non datur, qualem tamen hic quærimus, sed tanquam *extrinseca* enti ex operatione *intellectus* nascitur.

§. 5. Sed nec unitatem *quantitativam*, quæ per sui collectionem *numerum* efficit, hic investigamus, verum *entitativam*.

Formalis ratio.

III. Unitas est *indivisio* entis. (i. e. *negatio* divisionis essentiæ, ut illa à seipsa *non* sit *divisa*.)

§. 1. Remota unitate per *accidens* & unitate *rationis* ad unitaiem *rei* & per *se* nostram dè-

ſignamus mentem. Hujus *formalem* rationem dicimus eſſe *indiviſionem*, quod indicatur *tum ex oppoſito* unius, quod eſt *multa*; nam *multa* dicimus, quæ à ſe invicem *diviſa* ſunt, ergo *unum* erit, quod *non* eſt *diviſum* à ſe; *tum ex modo apprehendendi* noſtro; nam ſimulac *unitatem* audimus, mens ſibi talem format conceptum, quo res non diviſa, non ſeparata à ſeipſa ſiſtitur. Unde quidam dicunt, quod *indiviſio* poſſit vocari *indiſcrepantia* entis à ſeipſo.

§. 2. Exprimimus autem unitatem per *actum* potius, quam per *potentiam*, & dicimus eam conſiſtere in *indiviſione*, non in *indiviſibilitate*. Mens enim noſtra, cum unitatem *formaliter* apprehendit, non ſimul attendit, an ſit *diviſibilis*, an *indiviſibilis*, ſed abſtrahit à *diviſibilitate* (ſeu capacitate ad ſolvendam unitatem) & *indiviſibilitate*. Dicit ergo *unitas* negationem *diviſionis*, non *diviſibilitatis*, quia datur etiam unum per ſe *diviſibile*.

IV. Unitas eſt vel *indiviſibilis* vel *diviſibilis*. *Indiviſibilis* eſt, juxta quam ens ita *indiviſum* exiſtit, ut neget plura *realiter* diſtincta, in quæ reſolvi poſſit. *Dicitur etiam unitas ſimplex & ſimplicitas.*

§. 1. Mens noſtra cum unitatem *abſtracte* conſiderat ſub *actu* indiviſionis, non ſollicita eſt, an illud quod *actu* indiviſum eſt, *potentia* ſit diviſibile. Cum vero *particularia* intuetur,

tur, *distinctionem* animadvertit.

§. 2. Dividitur autem unitas *indivisibilis* in eam, quæ *absolute* talis est, & quæ *secundum quid*. Unitas *absolute* indivisibilis competit *soli Deo*, & distinguitur in eo ab ista, quæ *secundum quid* dicitur, quod *independenter*, citra participationem *extrinsecam* ab alio *essentialiter* priore *indivisibilis* est.

§. 3. Unitas *divisibilis* est, juxta quam ens ita *indivisum* existit, ut contineat in se plura *realiter* distincta, in quæ *resolvi* possit. *Dicitur etiam unitas composita seu compositio.*

In hac unitate *plures* res concurrunt, & sic unum *indivisum* constituunt. Sic e. g. Homo est unus, non unitate *indivisibili*, quia continet in se duo *realiter* distincta principia, in quæ *resolvi* potest, scil. *animam* & *corpus*.

IV. *Unio* est concursus *plurium* ad *unum* aliquod *indivisum*.

§. 1. Unitatis *divisibilis* modo explicatæ principium est *Unio*, propterea & ista hic deducenda. Sumitur vero *unio* vel in *actu*, & sic idem est, quod unitio, s. *actio* conjungens; vel in *statu*, & ita denotat *conditionem* rerum ad *indivisionem* aliquam reductarum. Nos hac vice considerabimus eam in *statu*, misso *actu*, qui transitorius est.

§. 2. Unio est vel *verbalis*, in nuda *vocum*

convenientia; vel *realis* in *concurſu* plurium diſtinctorum *entium* ad *unum* aliquod *indiviſum* conſtituendum, conſiſtens, Realis eſt vel *per ſe*, quæ analogice iterum dividitur in *Eſſentialem* & *perſonalem*; vel per *accidens*, & dicitur unio *accidentalis*.

§. 3. *Eſſentialis eſt, qua plura incompleta ad ſe invicem ordinata in intrinſeca communione ad unum indiviſum eſſentiale concurrunt.* Sic *eſſentialiter* uniuntur *forma* & *materia* in corpore. Atque *hæc* unio non tantum eſt in compoſito *eſſentiali*, ſed etiam *integrali*, quia & in hoc *una* per ſe *eſſentia* (licet *partialiter* reſpectu *materiæ*) reſultat. Sic elementa in miſtis *unita* ſunt *eſſentiali* unione. *Analogice* autem unio *eſſentialis* eſt inter *partes integrantes*.

§. 4. *Unio perſonalis eſt, qua duæ naturæ ita uniuntur, ut conſtituant unam perſonam.* Hujus exemplum præter *Salvatorem* non datur.

§. 5. *Unio accidentalis eſt, qua res plures accidentaliter conjunguntur ad unum per accidens conſtituendum.* Hæc datur vel inter *accidens* & *ſubſtantiam*, ut in docto: vel inter *accidens* & *accidens*, ut in pomo ſapor & odor: vel inter *ſubſtantiam & ſubſtantiam*, quæ concurrunt vel per *confuſionem*, ut in decoctis medicis; vel per *aggregationem*, ut in acervo tritici; vel per *aſſiſtentiam*, tam in *contiguis*, quam *continuis*. Unio accidentalis diſtinguitur etiam

etiam

etiam in *interiorem*, & *exteriorem*.

PROBLEMATA.

I. An divisio ab alio sit essentiale requisitum unitatis?

Quidam hoc affirmant & ideo talem *unius* descriptionem dant: unum est, quod in se *indivisum* est, & *divisum* à quolibet alio. Verùm *divisio ab alio* relationem infert *ad aliud*. Unitas vero est affectio *absoluta*, proinde *absolutam* postulat *formalem* rationem, *Multitudinis* potius *essentiale* requisitum est *divisio*, secundum vulgatam descriptionem: *Multitudo est rerum divisio, per quam entia multiplicantur & inter se divisa sunt*; proinde non potest simul implicari in essentia *unitatis*, quæ *multo* opponitur. Potest etiam sine *divisione* ab alio *unitas* esse citra ullam imperfectionem, quia Deus omnino *unus* esset, & quidem *perfectissime* si omnes suas creaturas (quod per absolutam potentiam potest) destrueret, sicuti perfectissime unus fuit, antequam eas creavit. E.

II. An unum & multa indicent disjunctam entis affectionem?

Neg. Vox *multa* duplicem potest habere significationem. Primo enim notare potest *multas partes* unius entis, ut ens dicatur *multa* quod *multas* habet *partes*. Hoc modo affirmari posset thesis, quia sic divisio entis in *unum* &

multa æquipollet divisioni in *simplex* & *compositum*. Sed hæc acceptio minus conveniens est. Secundo vox *multa*, quando de *ente* (non *entibus*) dicitur, potest accipi pro *uno per accidens*, quod *multa* In se continet, & ita distinctio entis in *unum* & *multa* coincidit cum distinctione inter unum per *se* & per *accidens*. Verum hæc distinctio est tantum *nominalis* & *æquivoca*; *Disjunctæ* vero affectiones dicunt *distinctiones* in inferiora *paronymica*. *Unum* & *multa* in nudo *nomine* conveniunt; nam multa non sunt *ens*, sed *entia*: *Disjunctivæ* vero affectiones in aliquo conceptu *reali* conveniunnt.

III. *Quænam inter unitatem & multitudinem intercedat oppositio?*

Resp. *Multitudo* variis modis *unitatē* respicit, & propterea etiam aliter atq; aliter ei *opponitur*. *Primo* multitudo est *rerum potentia divisarum*, id est, à se invicem, *divisibilium*, quales sunt partes *integrantes* in toto. *Hæc* multitudo, si comparatur ad *istud* unum, quod omnes partes continet, tum quatenus *omnes* partes *simul* sumuntur, multitudo *unitati* plane non opponitur, & ita non *re*, sed *ratione* tantum ab ea discrepat. Si vero *una* pars confertur cum *reliquis* e. g. cor cum omnibus aliis corporis partibus, istius *unitas* harum *multitudini* per *contradictionem* implicitam opponitur. Multum enim involvit *non unum*; & unum negat *divisionem*

onem quam ponit *multitudo*. *Secundò* datur etiam multitudo *rerum actu divisarum & separatarum*, ut cum multi homines congregati in foro. Istæ res *vel non spectant ad unam aliquam communem essentiam*, ut homo, leo, equus, canis, &c. Horum unum si cum reliquis sub conceptu unius & multi *formaliter* confertur, *oppositio* itidem est *contradictoria* sc. implicita, *Vel unam essentiam antea constituerunt aut constituere debuerunt*, partes integrantes separatæ. *Talium* multitudo quando comparatur ad *istam* unitatem, quam res omnes antea *habuerunt* vel habere *debuerunt*, opponitur illi *privative*: talis enim multitudo *defectum* notat. Hæc quæ jam dicta sunt, eo tendunt, ut ostendatur, quomodo *unitas* & *multitudo* sibi opponantur in *formali*, quod in *indivisione* & *divisione* consistit. Nam quoad *materiale* opponuntur etiam *relative* & *contrarie*. Numerus definitur *multitudo* ex *unitatibus* collecta. Quatenus ergo multitudo *numerica* componitur ex *unitate*, quæ est *principium* numeri, eatenus exsurgit oppositio *relativa*; nam *numerus* respicit *unitatẽ* tanquã *partẽ* sui *aliquotam*, & absq; ea intelligi non potest; & *unitas* (*arithmetica* sc.) respicit *numerum*, eumq; in conceptu suo implicat. *Contrarie* etiam sibi opponuntur *unitas* & *multitudo*; quando, misso illo respectu, *unum* & *multa* considerantur, tanquam duo *positivi* termini, ex quibus cognosci solet *contrarietas*.

IV. *Quid unitas enti ſuperaddat?*

Scinduntur in hac controverſia *Metaphyſici* in varias ſententias. Quidam *negationem*, quidam *poſitivi* quid, quidam *privationem* putant ſuperaddi ob *unitate*. Nos ſingulas examinabimus, ut veram inveniamus.

1. Ad *poſitivum* quod attinet, tale quod non ſuperaddat *unitas*, ita probamus: Si unitas eſt in ſe ens *reale*, & omne ens reale *unitatem* pro *affectione* habet, ſequitur, quod etiam *ipſa unitas* tanquam *ens* pro *affectione* habeat *aliam unitatem*. Conſequens eſt abſurdum, quia iſta unitas iterum aliam, & hæc aliam haberet, uſque in infinitum. Ergo & antecedens.

2. Sunt, qui *privationem* enti per *unitatem* ſuperaddi putant, non quidem *ſtricte* ſic dictam, in *ſimilitudine* tamen ipſi reſpondentem. Ratio ipſorum hæc eſt, quia *unitas* ſemper adhæreat enti *reali*, ſicut *privatio*. Verum *privatio* dicit *abſentiam* ejus quod *ordinarie* ſolet *ineſſe*. Sequeretur ergo, quod *multitudo* (cui opponitur *unitas*) *ordinaria* eſſet *affectio* entis, & potiori quidem jure, quam *unitas*, cum tamen per *multitudinem* non *ens* denominetur, ſed *entia*.

3. Quia ergo unitas non ſuperaddit *enti* aliquid *poſitivi*, vel *privativi*, relinquitur, quod addat *negationem* ſcil. *diviſionis*, una voce *indiviſionem*. Hæc competit enti *reali*, non quaſi ipſi *adhæreat* (ut loquuntur) inſtar *privationis*, ſed

sed quia de ente *reali* aliquid *negat*.

V. *An unitas consistat in indivisibilitate?*

Neg: 1. Quia *formalis* ratio cujusque *affectionis abstractissimum* ejus debet sistere *conceptum*, qui dicat, *qualis* in *se sit*, non *quomodo* in *tali* vel *tali* specie *se habeat*. Indivisibilitas naturam *unitatis indivisibilis* exprimit, quæ *species* unitatis est, non unitas *abstracte* sumpta, quam *mens* apprehendit in *uno*, antequam, an *divisibile* sit, an *indivisibile* cogitet.

2. Quia (quod ex prima ratione fluit) datur etiam unitas *divisibilis*. Equus sane unum quid est, & nihilominus potest dividi in animam & corpus. Sol unum ens est, & tamen ex materia & forma constat, quæ realiter à se invicem distinctæ sunt.

Quicquid ergo repugnat *speciei* unitatis (*divisibilis* unitas simul non potest esse *indivisibilis*) illud non est *formalis* ratio ejus, quia nulla *formalis* ratio repugnat *speciebus* ejus, cujus est *formalis* ratio. Quantitatis *continuæ* formalis ratio est *extensio*. Ea sane est in *lineâ*, *superficie* et *corpore*. Nulla species eam respuit.

V. *Utrum ad complendum unitatis conceptum, seu ad formalem rationem concipiendam indivisioni adjungenda quoque sit incommunicabilitas, ut res simul ut singularis apprehendatur.*

Neg:

Neg. 1. Quia, si alia *transcendentia* ad suam *formalem* rationem *unius* tantum conceptum admittunt, probabile est, *unitatem* multo magis *uno* conceptu contentam esse.

2. Quia *incommunicabilitas* illa *quidditativa* non est *adæquata* unitati proprie dictæ, sed *latius* patet; determinat quidem unitatem *rei* et excludit unitatem *rationis*, quæ universalibus convenit; Interim tamen non circumscribit unitatem *per se*, sed etiam ei, quæ *per accidens* dicitur, communis est. Hoc & illud ens *per accidens* (e. g. mundus) in plura ejusdem naturæ divisibile non est; erg *quidditative* est *incommunicabile*.

3. Quia consistere potest cum eo, quod unitatem *per se* tollit ac destruit, scil. cum ente *per accidens*, quod *intrinsece* divisum est in plura entia *completa*, qua divisione data, tollitur indivisio unitatis *per se*.

VII. *An universalitas & singularitas sit disjuncta entis affectio?*

Neg. Multi hoc statuunt, sed non adeo commode. Universale enim in *esse*, quod proprie hic intelligunt, non est *reale* quid, nec citra *mentis* operationem in rerum natura datur. At *affectiones* entis sunt *realis*, & rei competunt, etiam nullo hominum cogitante. Alterum ergo membrum cum cadat, non exsurget inde dis-

disjuncta affectio. Sed quid de *singularitate* statuendum est? Resp. Ea pertinet ad unitatem, est enim ipsa *unitas rei*, de qua supra egimus.

VIII. *An universalia citra mentis operationem dentur in rebus?*

Neg. Vniversalia *formaliter* non dantur in rebus citra mentis operationem. Abstrahuntur enim à multis singularibus, quod ope intellectus fit. *Fundamentaliter & materialiter* ea dari in rebus qui dicit, ille multa singularia, quatenus singularia sunt, dicit universalia.

IX. *An unio realis recte dividatur in essentialem, suppositalem & accidentalem?*

Neg. Membra *dividentia* non debent sibi invicem esse *subordinata.* Contra hanc regulam peccat ista *divisio*, quia pleraque exempla suppositalis unionis sunt accidentalis etiam Exempla; quod de ferro ignito, aqua falsa, elementis in misto, &c. clarum est. Sed opponitur: Sufficit si *formaliter* sint opposita, licet *materialiter* se contineant. Verum *Suppositalis* & *accidentalis* non sunt *formaliter* oppositæ. Nam de unione suppositali *formaliter* considerata in plerisque exemplis potest dici oppositus terminus secundum *formale*, scilicet unio accidentalis. e. g. ferrum ignitum, &c.

Formaliter autem opponi dicuntur ea, quorum

rum *formales rationes* opponuntur. Propter hanc ergo difficultatem nos supra *accidentali* unioni opponimus non *suppositalem absolute* & in tota sua latitudine sumptum, sed *talem*, scilicet *personalem* Salvatoris nostri; Hæc enim non constituit unum *per accidens*; nec tamen in *unam essentiam* per eam coaluerunt *duæ* in Christo *naturæ*, ut *essentialia* dici possit.

X. *Utrum unio personalis constituat unum per se vel per accidens?*

Resp. Dat unum *per se*. Vbi tamen adhibenda est distinctio quæ applicatur etiam *distinctioni reali*, quando personæ SS. Trinitatis dicuntur *realiter distingui*) inter unum per se *stricte* ita dictum & *secundum analogiam*. Illud dat *essentialis*, hoc vero *personalis* unio. Ratio, cur Christus sit unum *per se*, hæc est, quia humana natura non est nec fuit unquam (secus ac ignis in ferro, &c.) per se *completa* ratione *subsistendi*, sed ad divinam naturam se habet per similitudinem *potestatis* ad *actum*; ita ut hoc modo hic valeat simile Athanasii in Symbolo: sicut anima rationalis & caro *unus* (*per se*) est *homo*: ita Deus & homo *unus* est *Christus*. Illustrabo rem alio adhuc simili: In mistis corporibus sunt principia chymica: illa una cum elementis & forma specifica constituunt unum *per se* (non *per accidens*) non quod non sint completa

pleta in *esendo*, sed quia non sunt nec unquam fuerunt completa in *subsistendo*.

AXIOMATA.

I. Omne ens est unum.

Unitas enim est *adæquata* affectio entis, non *latissime* sumpti, sed quod subjectum *Metaphysicæ* positum est. Hinc *unitas* æque late patet, ac ipsum *ens*, ut liceat dicere: Quod non est *unum*, illud ne est quidem. Ratio regulæ hæc est, quia, quod non est *unum*, illud est *multa*. Multa autem non sunt *ens*, sed *entia*; &, si *multa* non ab *uno* sustentantur, *nihil* sunt. Objicitur vero ex Scaligero Ex. 5. s. 3. alicujus rei essentiam esse, non esse unum, scil. *numeri*; quia nempe numerus constat *multis unitatibus*. Verum numerus non est *unitas transcendentalis*, sed *multitudo* s. aggregatum ordinatum, adeoque ens *per accidens*, quod *unitati transcendentali*, quæ ens *per se* arguit, opponitur. *Numerus* ergo sub subjecto nostræ theseos non continetur, quia ens *per accidens* est, unde oppositio nulla est.

II. Omne quod est, eo ipso quia est, singulare est.

Loquitur regula de ente *reali*, objecto Metaphysicæ: non de ente *rationis*, quale est universale,

sale, Quod ergò de objecto non participat, illud per axiomata ab objecto promanantia dijudicari nequit. Omne ergò ens *reale* habet *unitatem rei*, hoc est, est *singulare*, & quidem ideò quia *est*: nam ipsa *essentia* rei est principium *individuationis*.

III. Unitas per se non arguit entis perfectionem.

Quia scil. jam ante *perfectum* est. Ponamus in comparatione hominem & solem. Uterque *unum* quid est: Uterque habet *unitatem divisibilem*; & *solis* quidem unitas videtur esse major, quàm *hominis*, quia sol *simplicior* est homine. Si ergò ex unitate *perfectio* esset æstimanda, sol esset *perfectior* homine. *Unitas* ergò per se tantum dicit rei vel *perfectionis* vel *imperfectionis* indivisionem. Interim non negamus, quod *unitas* interdum etiam sit *comes perfectionis*, & tanquam externum indicium eam ab *imperfectione* distinguat, quod Vallesius in sacra Philosophia c. 46. p. 163. asserit, dum dicit: cum multi sint viventium *gradus*, qui *perfectione* & *imperfectione* distinguuntur, quo quidquam est *perfectius*, eo *partes* ejus majorem habent *unitatem*, minúsque vivere possunt, nisi in toto. Plantarum partes dissectæ vivunt & germinant, si seorsim in terram infiguntur. Reptilia dissecta in multas partes vivunt, &c.

Sed

sed hæc nota *perfectionis* est tantùm particularis.

IV. In unitate indivisibili non datur unio.

Diximus supra, quod *unio* sit principium *unitatis divisibilis*, ut intelligeretur eam ab *indivisibili* excludi. Ubi enim non dantur *plura* realiter distincta, quæ *uniri* possint, ibi non datur *unio*. At in unitate *indivisibili* non dantur *plura* realiter distincta, E. in eo non datur *unio*. Unde patet, quod quando Theologi dicunt, unionem dari personarum SS. Trinitatis, eos non loqui *strictè* & in rigore de unitate, sed latè.

CAPUT IV.

DE *VERITATE.*

PRÆCEPTA.

Æquivocationis evolutio.

I. Veritas est vel Metaphysica, vel Logica, vel Ethica.

II. Veritas *Metaphysica* est conformitas *rei* cum *intellectu divino.*

III.

III. Veritas *Logica* est conformitas *conceptus*, vel *orationis* cum *re ipsa*.

IV. Veritas *Ethica* est conformitas *verborum, gestuum*, & *actionum* cum *corde*.

Natura veritatis *Metaphysicæ* Theorem. XII. excutietur. Veritas *Logica* conspicitur præcipuè in *enunciationibus* veris, quales sunt, quæ cum *norma* sua; *rebus* ipsis scil. uti *in natura* sunt, consentiunt. *Ethicè* verax est, in quo *mens, cor*, & *os* consentiunt, qui *loquitur*, quod *sentit*, & talem præ se fert, qualis est. Ad *hanc* veritatem non requiritur præcisè, ut *res* se ita habeat, uti *recensetur*, modo is, qui loquitur, rem *aliter* non *sciat*. Hinc asserere non dubitamus, posse aliquem simul in una eademque re *veracem* esse, & *mendacium* dicere: *mendacem* esse & *veritatem* dicere.

V. Alio modo veritas alia est vel in *essendo*, vel in *significando*, vel in *cognoscendo*.

VI. Veritas in *essendo* est conformitas *essentiæ* cum *intellectu Dei*

VII. Veritas in *significando* est conformitas *signi* cum re *signata*.

VIIII Veritas in *cognoscendo* est conformitas *potentiæ cognoscentis* cum *re cognita*.

§. 1. Ut rectè intelligatur, quid sit veritas *in essendo*, propter quam primario hæc contemplatio suscipitur, primùm explicanda est veritas

veritas in *significando* & *cognoscendo*.

§. 2. Veritas *in significando* est, quando *signum* potentiæ cognoscenti verè *repræsentat* id, quod *significare* debet; (nam *signum* est, quod potentiæ cognoscenti aliquid *repræsentat*; uti ex capite de *signo* & *signato* infra patebit.) Hinc uti *signa* vel sunt *naturalia* vel *artificialia*, ita eorum *veritas* etiam alio atque alio modo se habet. Sic veritas est in *vocabulis*, quando ita pronuntiantur vel scribuntur, ut res ea, cujus loco substituuntur, intelligatur: in *picturis*, e. g. illustrium virorum, quando verè eos *repræsentant*, in *sermone*, cum id *loquimur*, quod *sentimus*: In *conceptu*, quando, ut res est, *concipitur*. Imò in ipso vultu datur hæc veritas, quando talis est, ut verè inde animus cognoscatur.

§. 3. Ex adverso, falsitas *in significando* est, quando *signum* non *verè* repræsentat id, quod significare *debet*. Sic qui non ita *loquitur* vel *gestus* componit, uti *animus* ipsius affectus est, is *falsitatem* hanc committit.

§. 4. Veritatem in *cognoscendo* dicimus esse conformitatem *facultatis cognoscentis* cum *re cognita*. Per facultatem cognoscentem intelligimus tam *intellectum*, quàm *sensum*: nam & sensu fit cognitio, quæ dicitur sensualis. *Conformitatem* verò hic non *univocam* statuimus, quæ è g. est inter duas qualitates ejusdem speciei

ciei; ſed *analogicam*, quæ eſt inter rem & imaginem ejus. Nam ſpecies intelligibilis ut & ſenſibilis eſt rei imago.

IV. Veritas in cognoſcendo eſt vel *apprehenſiva* vel *judicativa*.

X. *Apprehenſiva* eſt, qua res, uti eſt, apprehenditur.

Hæc iterum eſt duplex: vel *incomplexa* vel *complexa*: *Incomplexa* veritas datur in terminis *ſimplicibus*, quando rem ſimpliciter extra omnem compoſitionem in ſua eſſentia apprehendimus primâ operatione mentis, ut eſſe Angelos, dari Æthiopes, &c. *Complexa* veritas eſt in *propoſitionibus*, quibus ſub *compoſitione* vel *diviſione* res cognoſcimus, affirmando ſcil: aliquid aut negando, quod eſt opus ſecundæ operationis mentis, ut, hominem generare, diabolum non generare:

IX. *Judicativa* veritas eſt, quæ de jam ante *apprehenſa* veritate judicium format, &, quod vera ſit, probat.

Hæc cadit ſub tertiam mentis operationem, quæ per diſcurſum & Syllogiſmum ſuam functionem peragit.

Formalis ratio.

XII. Veritas (*Metaphyſica* ſcil. & quæ dicitur in *eſſendo*) eſt conformitas *rei* cum intellectu *divino*.

§. 1.

§. 1. Remotis æquivocationibus, genuinam jam veritatis transcendentalis faciem contemplabimur: istius *formalem rationem* dicimus esse conformitatem *rei* cum *intellectu* non quovis, sed *divino*. Potest quidem respectus etiam haberi ad *humanum* intellectum, sed inde non exsurgit veritas *transcendentalis*, quia hic respectus rei tantùm competit *accidentaliter* & consequenter, non quatenus res per se *vera est*, sed quatenus *ut vera* cognoscitur.

§. 2. Alii formalem rationem veritatis putant in *negatione* consistere, nimirum in *negatione fictionis*, & apparentiæ. Sed hæc explicatio nimis popularis, & vulgaris est. Vulgus dicit: *verum* id est, quod non est *fictum* vel *falsum*: Virtus est, vitium fugere, &c: Accuratè in naturam veritatis si penetratur, per relationem exprimitur, non quidem *prædicamentalem*, sed *transcendentalem*.

§. 3. In *formali* autem *ratione* non est tanta difficultas, cum omnes accuratiores Metaphysici in eo consentiant, quod veritas dicat *relationem* & *congruentiam* ad *intellectum*: in explicatione verò hujus *formalis* non exiguus oritur scrupulus. Alii enim (ut rem ad summam redigam) *conformitatem* illam ad *intellectum* explicant per modum *cognoscentis* & *cogniti*: Alii verò per modum *mensuræ* & *mensurati*. Nos statuimus, quod intellectus hic sumendus si *indifferenter*

differenter & indeterminatè, prout præscindit ab istis modis determinatioribus *cognoscendi & normandi.*

DIVISIO.

XIII. Veritas est vel *creata* vel *increata.*

XIV. Veritas *increata* est, per quam essentia *divina* refertur ad intellectum *divinum* per modum *identitatis* absque *constitutione.*

XV. Veritas *creata* est, per quam essentia *creata* conformis est menti *divinæ constituenti.*

§. 1. Veritas diversimodè se habet in *creatore* & *creaturis.* Non negandum est, Deum seipsum intelligere, & cognitionem divinam super ipsam essentiam divinam ferri; Interim tamen hoc sit per *simplicem* tantùm cognitionem absque aut ulla *productione*, aut proprie dicta *mensuratione.*

§. 2. In creaturis verò, licet etiam essentiæ earum intellectui divino objiciatur, ut cognoscenti, ita tamen hoc fit, ut cognitio Divina sit earum mensura, ut Potentia Divina earum causa.

PROBLEMATA.

1. An veritas transcendentalis formaliter tantùm judicanda sit ex conformitate cum intellectu divino? Neg: Affi

Aff: Sunt qui *indifferenter* ſumendam eſſe dicunt *conformitatem* eam ad *intellectum*, ſive ſit *divinus*, ſive *humanus*, modò *divinus* primariò intelligatur. Verùm relatio *intrinſeca* & *eſſentialis*, quæ *veritati* dat *eſſe* ſuum, res tantum trahit ad *divinum* intellectum; Ille enim rerum *veritatem* terminat. Referuntur quidem res etiam ad *creatum* intellectum, quatenus movetur iſte, ut *cognoſcendo* eas ipſis fiat *conformis*. Sed hæc *relatio* eſt tantùm *accidentalis* & *extrinſeca*, & non facit, ut res *ſit vere*, ſed potiùs, ut *verè cognoſcatur*. *Creatus* enim intellectus, qui *falli* poteſt, *terminatur* à rebus: non res à *creato* intellectu. Ergò ex *relatione* ad *talem* intellectum oritur non veritas in *eſſendo*, ſed tantùm in *cognoſcendo*, quæ *æquivocè* tantùm in *Metaphyſica* dicitur *veritas*, & propriè ad *Gnoſiologiam* pertinet. Sed objicitur, res *artificiales* tamen referendæ ſunt ad intellectum *humanum*, qui ipſarum *norma* eſt. Reſp: Res *artificiales* ſunt entia *per accidens*, quia ſemper *duo* involvunt, ſcil: opus *naturæ* & opus *artis*. Ita ergò ſumptæ non participant de *objecto Metaphyſicæ*: & propterea etiam à participatione *affectionum ejus* excluduntur. Quamvis verò in ſua *ſimplicia* reſolvantur, nihilominus tamen ultimo ad intellectum *Dei* referuntur. *Immediatè* quidem ad intellectum *artificis* habent reſpectum: *Mediatè* verò ad *Dei* etiam intellectum

lectum referuntur, tum quia omnis ars *Dei* donum est, tum etiam, quia homines res *artis* efficiunt per imitationem aliarum rerum à Deo productarum. Nam omne *artificiale* refert aliquam imitationem à rebus aliis desumptam, Causa verò, cur *artificialia* ad *Dei* etiam intellectum referantur, cum veritas eorum *entitativa* iudaganda est, hæc datur quia *humanus* intellectus non est *per se* & *absolutè* infallibilis in ulla re, ne in eâ quidem, quam ipse producit. Dependens in *esse ndo* est etiam dependens in *operando*: & omne *positivum* est à *Deo*. Ergò totum negotium *artis* (aberrationes excludo, quæ veritatem *entitativam* non habent) in examine *veritatis* ad *Deum* devolvitur.

II. *An duplex unius rei detur veritas?* Neg.

Quæritur in hoc problemate, non, an duplex vel multiplex *diversarum* rerum sit veritas, id enim nemo negat, cum omnino e. g. aliam & distinctam obtineat veritatem equus, aliam lapis, aliam aurum, &c. Sed an *unius* ejusdemque rei *duplex* & *oppositæ* unius generis sit veritas, quod antehac nonnulli statuere non sunt veriti, dicentes: quod unum idemque in *Philosophia* possit esse verum, & in *Theologia* falsum. Ita verò intellectam quæstionem constanter negamus, & dicimus, quod unius rei sit tantum una veritas, tam in *esse ndo* quam etiam

im in *cognoſcendo*. Res *vera eſſe* dicitur, quando *conformis* eſt intellectui *divino*. Aut ergo *conformis*, & ſic vera; aut *difformis*, & ita *falſa* eſt. Impoſſibile enim eſt, ut aliquid Dei intellectui ſimul ſit *conforme* & *difforme* eodem reſpectu. Omne enim, quod Deo *non conforme* eſt, *defectum* dicit in ſuo *eſſe*. At omnis *defectus* in *eſſentia* implicat *non ens*. Si ergo eſſet aliquid ei ſimul *conforme* & *difforme*, ſimul *eſſet* & *non eſſet*, quod abſurdum eſt. *Una* etiam eſt tantum *veritas* in *cognoſcendo*, quæ, quia juxta tres mentis operationes triplex eſt, de ſingulis noſtrum aſſertum probabimus. Veritas *apprehenſiva ſimplex* non poteſt eſſe *duplex*, quia *objectum* ejus à quo *menſuratur*, non poteſt ſimul *eſſe* & *non eſſe*. E. G. Si vera *hæc* eſt aſſertio: *Dantur angeli*, non poterit eſſe vera ejus *oppoſita*, *non dantur Angeli*. *Compoſita*, quæ in *enunciationibus* conſpicitur, itidem tantum *una* eſt, propter rationem modo datam. *Vera* enim *propoſitio* ita de re aliquid *affirmat* vel *negat*, ũti res in ſe *eſt* vel *non eſt*. Si ergo illa propoſitio eſt *vera*, quæ rebus *conformis* eſt, oppoſita erit *falſa*, quia alias idem rei ſimul *competeret* & *non competeret*. Veritas *judicativa*, quæ in *ratiocinio* conſiſtit, propterea *una* eſt, quia *principiorum*, unde ea fluit, veritas tantum *una eſt*. *Principia* ergo ſi non habent *duplicem* veritatem, unde illam habebit *Syllogiſmus*,

III. *An Philoſophia contradicat veritatibus Theologicis?*

Neg, Problema hoc eſt ſpeciale quæſitum præcedentis quæſtionis. Statuminatur autem negativa hoc fundamento, quia intellectus *divinus* æque principiorum ex *natura* fluentium, quam ex *revelatione* depromptorum, norma eſt. Ut ergo intellectus *Dei* à ſeipſo non *difformis*, ſibique, *contradictorius* eſt: Ita etiam *principia* ab eo dependentia per patefactionem *generalem* & *ſpecialem* revelationem non ſibiipſis contradicunt. Caute vero hîc diſtinguendum eſt 1. inter *Philoſophiam* & *Philoſophum*. Illa non contradicit Theologiæ, contradicit vero ſæpe Philoſophus. 2. Inter *veritatem* principiorum Philoſophicorum & eorum *applicationem*. *Illa* non parit *contradictiones* adverſus Theologiam: *Hæc* vero, ſi vitioſa ſit, earum cauſa eſt.

IV. *An veritas conſiſtat in conformitate cum intellectu divino?*

Affirmatur. Variæ ſunt Metaphyſicorum ſententiæ de *formali* veritatis. *Hic* in *proprio-rum* eſſentiæ *ſignorum poſſeſſione* ponit formale: *iſte* in *ſegregratione* ab alio: *ille* in *proprietate* ñ eſſe, ut *verum* id dicatur, quod *eſt*, uti eſſe *debet*: Verum hæ & ſimiles ſententiæ vel *plane* non, vel ſaltem non *plene formale* veritatis exprimunt. Noſtra ergo ſententia de proble-

mate

mate hæc eſt, quod veritas conſiſtat in *conformitate* cum intellectu *divino*, quod jam ante explicatum eſt.

V. *An veritas detur in rebus?*

Aff. Nam veritas *noſtri* intellectus dependet à *rebus* à quibus *menſuratur*; ergo iis primum inſit veritas, neceſſe eſt. Non enim ideo e. g. ignis calidus *eſt*, quia homo quidam hoc *dicit*, ſed ideo qui *hoc* dicit, *verum* dicit, quoniam ignis in ſe vere *eſt* calidus.

VI. *Vtrum falſitas detur in rebus?*

Neg. *Improprie* res dicuntur interdum *falſæ*; *proprie* vero hæc denominatio in ipſas non quadrat. Ratio hæc eſt, quia illa *falſitas*, uti ex definitione *veritatis* colligitur, eſſet *difformitas* rei cum intellectu *divino*. At nullum ens, *quatenus* ens, eſt *difforme* cum intellectu *divino*. Omne enim *poſitivum* eſt à Deo. Deus autem omnia, quæ ab ipſo dependent, ita conſtituit in *eſſentia*, ut concordent cum *menſura* intellectus ſui. Ergo nullum ens in *eſſentia* ſua poteſt *diſcordare* ab ea. Nec obſtant *monſtra*, quæ aberrant à *norma* illa, quam Deus in prima creatione ſpecierum propagationi ex intellectu ſuo præſcripſit. Quatenus enim aberrant, eatenus *defectum* innuunt. *Defectus* non eſt *ens*, ſed *abſentia* entitatis alicujus. Ergo *falſitas* illa,

uti putatur, in *re* non erit.

VII. *An falsitas in cognoscendo etiam detur in prima mentis operatione?*

Aff. *Veritatem* in cognoscendo dari in omnibus *tribus* mentis operationibus statuimus supra. Jam de opposita *falsitate* cognitionis, quæ proprie falsitas dicitur, quoque hoc in puncto disquiremus. Hanc quidem dari in *secunda* mentis operatione, concedunt omnes saniores: cum inde nata sit distinctio propositionis in *veram* & *falsam*. Dari quoque eam in *tertia* operatione mentis, facile largiuntur, qui Syllogismos *Sophisticos* inveniri norunt. Sed an in *prima* quoque detur hæc falsitas, quidam *dubitant*, quidam diserte *negant*. Nos *affirmamus*, quia in *prima* etiam mentis operatione datur *difformitas* potentiæ *cognoscentis* & objecti *cognoscendi*. Dantur enim homines, qui hanc vel istam rem putant revera dari, & essentiam *realem* in mundo habere, cum tamen sit tantum *ficta* et præter esse *objectivum* in se nihil habet. Cognoscere autem (*apprehendere potius videtur dicendum*) aliquid, quod *fictum* est, sub opinione *realis* existentiæ, omnino infert *difformitatem* intellectus et objecti. E. G. *Pontificii* credunt, dari *purgatorium* extra *fictionem* mentis, cum tamen *figmentum* sit. Ergo intellectus eorum *errat*, qui objectum hoc suum cognoscit (*vel apprehendit*)

dit) ſub *eſse reali*, quod tamen *eſse objectivum* in intellectu habet et præterea *nihil*. Contra inveniuntur homines, qui aliqua, quæ *reale* eſſe habent ex *figmento* introducta eſſe putant. *Epicuræi* e. g. ſibi perſuadent, non dari *Diabolos*, ſed *fingi* tantum a concionatoribus, ut homines in honeſta vita contineant. Horum intellectus ſane *difformis* eſt objecto, quod putatur eſſe ens *rationis*, cum tamen ſit ens *reale*.

VIII. *Unde oriatur difficultas inveſtigandi veritatem?*

Sagaciſſimos & in omni genere eruditionis exercitatiſſimos Philoſophos legimus in enodatione rerum difficilium uſurpare communes illas ſententias: *Maximum eorum, quæ ſcimus, eſt minimum eorum, quæ neſcimus*: *Sapientiæ humanæ pars eſt, quædam æquo animo neſcire velle*: *Nos in luce rerum tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in maxima inſanimus*, &c. Unde patet, quod difficilis inventu ſit veritas, & quod *Democritus* non ſine cauſa hanc uſurpârit querelam, *veritatem in profundo puteo latere*. Propterea merito quæritur, cur adeo difficilis ſit inveſtigatio veritatis? *Heraclitus* difficultatem hanc *rebus ipſis* tribuit, quia non *idoneas ſpecies* ad cognitionem *neceſſarias* poſſint intellectui imprimere. Sed verior eſt illa ſententia, quæ *intellectui* ipſi aſcribit cauſam difficultatis, qui

corruptus & per *lapsum* lumine suo *privatus* est. Quædam etiam homo *integer* difficulter cognovit, tum propter suam *nobilitatem*, ut *Deum*; tum propter suam *tenuitatem*, ut *peccatum*, in Diabolis conspicuum. De reliquis vero, quæ nostræ cognitioni in statu *innocentiæ* fuissent *adæquata*, dico, quod, quando jam ad ea indaganda nos accingimus, nihil difficultatis lateat in ipsis *rebus*, sed quod totum impedimentum in nostro *intellectu* situm sit. *Lumen* in intellectu debile est, & *tenebrarum* fere nomen meretur: *Organa* sunt imbecillia & inepta: *Temperamentum* jam *melancholiæ* nebula aciem mentis obfuscat, obtundit, torpefacit: *Vitia* quoque hominum, ut sunt *philautia*, *arrogantia*, *socordia*, *inconstantia* &c. multum faciunt ad hominum *stupiditatem*. Quemadmodum ergo non accusandus *Sol* est, cum non possumus eum *recta* intueri, sed *oculorum* imbecilitas: ita cum non omnia possumus intelligere, *res ipsæ* non sunt culpandæ, sed *noster intellectus*.

AXIOMATA.

I. Omne ens est *verum*, & omne verum est *ens*.

Quicquid *conforme* est intellectui *divino*, illud *verum* est. Atqui omne ens (sc. reale) *conforme* est intellectui *divino*. E. omne ens *verum*. Rursus,

sus, quicquid habet *essentiam*, illud est *ens*. Atqui omne verum (proprie dictum) habet *essentiam*. Ergo omne verum est *ens*.

II Antiquissimum quodque verissimum.

Hæc regula aliqua quidem ratione potest de veritate *in essendo* intelligi, ut *Deus* ipse, qui *antiquissimam* omnino essentiam habet, denotetur; Verum in usu philosophico de veritate *in cognoscendo* præsertim usurpatur, ut *verissima* judicentur illa *principia cognoscendi*, quæ sunt *antiquissima*. Accipiendum tamen est *subjectum* regulæ cum hac *limitatione*, quod scilicet intelligendum sit ἁπλῶς s. *absolute* antiquissimum, non vero *secundum quid*. *Veritas* absolute *antiquior* est *falsitate*: secundum *quid*, scilicet in genere *falsitatum*, fraus *Diaboli*, qua decipiebat *Evam*, est *antiquissima*. Addenda vero est ad *prædicatum* quoque *limitatio*, quod scilicet antiq. *verissimum* sit, quoad *veritatem ipsam*, quamvis non semper quoad veritatis *manifestationem*. Fieri enim potest, ut *falsum* citius *divulgetur* quam *verum*. Ex hac limitatione solvitur quoque illa objectio ex *jure*: Lex *nova* derogat *veteri*, ergo interdum etiam *novissimum* est *verissimum*. Nam si *vera* est *nova* lex, congruit cum lege *naturæ* homini jam prima creatione *implantata*, atque sic in *se* satis *antiqua* est, licet *noviter* sit *manifestata* & *promulgata*.

CAPUT V.

De BONITATE.

PRÆCEPTA.

Formalis ratio.

I Bonitas est *convenientia* entis.

§. 1. Sunt, qui *formalem* rationem bonitatis ponunt in *conformitate rei & voluntatis*. Verum ista *conformitas* non dicit naturam *bonitatis* in *abstractissima* natura, *quatenus bonitas* est, sumptæ, sed *talis bonitatis*, ejus scilicet, quæ *respective* dicitur. In inquisitione vero *formalis rationis* non judicandum est de *termino*, prout in *hac* vel *illa specie* se habet, sed uti in *abstractissima* natura ab omnibus inferioribus *præcisa* jacet.

§. 2 Alii *formale* bonitatis *in appetibilitate* situm esse putant, quæ sententia cum priore ex parte convenit. Verum *appetibilitas* potius est *consequens* bonitatis: ideo enim aliquid *appetitur*, quia *bonum* est, non ideo *bonum* est, quia *appetitur*, cum *malum* sæpe etiam, licet sub *ratione* boni, *appetatur*.

§. 3. Dantur etiam, qui *formalem* boni rationem

onem in *perfectione* collocant; quorsum ſpectant iſtæ definitiones vulgatæ: *Bonitas eſt perfectio rei denotans convenientiam. Bonitas eſt perfectio enti conveniens: Bonitas eſt convenientia perfectionis ad rem ipſam*, &c. Verum idem, quod de prima ſententia diximus, hic repetimus quod ſcilicet *perfectio* non exprimat naturam bonitatis *abſtractiſſime* ſumptæ, ſed *talis* bonitatis, ejus ſcil. quæ *in ſe* ſpectatur.

§. 4. Noſtra ſententia hæc eſt, quod *formalis* ratio *bonitatis* conſiſtat in *convenientia* rei, & quidem *tali*, quæ *indifferenter* ſe habet ad eam, qua aliquid *ſibi ipſi* eſt conveniens, & eam, qua quid *alteri* convenit.

Diviſio.

II. Bonitas dividitur in eam, qua aliquid eſt bonum *in ſe*, & eam, qua aliquid eſt bonum in *reſpectu ad aliud.*

Fundamentum diviſionis hujus hoc eſt, quia *convenientia* entis, in qua *formalis* ratio bonitatis in *genere* ſumptæ conſiſtit, dicitur vel *reſpectu ſui ipſius*, quomodo ens *ſibi ipſi* conveniens eſt; vel *reſpectu alterius*, qua ratione ens eſt conveniens *alteri.*

III. Bonitas, qua ens eſt bonum *in ſe*, alias dicitur *perfectio.*

De *perfectione* quidam dicunt, quod non ſit

affectio, ſed ipſa *eſſentia*: Quidam, quod una cum *imperfectione* conſtituat *disjunctam* affectionem: Alii, quod faciat peculiarem inter *unitas* affectionem. Nos ab hiſce tribus ſententiis diſcedimus, propter rationes ſupra cap. 2. adductas, & *perfectionem* ad *bonitatem* referimus, cujus *ſpecies* eſt. Evolvenda vero primum perfectionis *æquivocatio* eſt, antequam *naturam* ejus genuinam explanemus.

Æquivocationis evolutio.

IV. Perfectio eſt vel *eſſentialis* vel *accidentalis*.

V. Perfectio eſſentialis eſt, *qua rei nihil deeſt in eſſentia*.

VI. Perfectio accidentalis eſt, *qua rei non deſunt accidentia, quæ in eam cadere ſolent*.

Hæc pro varietate iſtorum accidentium varia eſt: nempe vel *naturalis*, qua rei *nihil* deeſt *eorum*, quæ *naturaliter* (*extra eſſentialiter* tamen) ei competunt, vel *acquiſita*, eaque vel *intellectualis* (quam alii *artificialem* vocant) quæ intellectum virtutibus *intellectualibus*; vel *moralis*, quæ voluntatem virtutibus *moralibus* perficit; vel *infuſa*, quæ non *labore*, ſed *Dei* ſingulari operatione producitur, ut *fides*, *ſpes*, & alia bona opera; vel *imputata*, quando *Salvatoris perfectio* per fidem *noſtra* fit.

VII.

VII. Perfectio sumitur vel *absolute* vel *comparate.*

Absolute omne ens perfectum est, quatenus ipsi in *essentia* nihil deest. *Comparate* hoc est *perfectius* illo (Deus perfectior creaturis, homo planta) quia *inæqualis* est participatio perfectionis in *determinata* ratione essendi.

IIX. Perfectio est vel *partium* vel *graduum.*

Illa nullam *partem* debitam, *hæc* nullum *gradum* debitæ excellentiæ *abesse* dicit.

IX. Perfectio sumitur vel *effective*, vel *possessive.*

Illo modo notat *actum* effectivum *perficientis.* *Hoc* vero *statum rei* jam *perfectæ.*

Formalis ratio.

X. Perfectio est convenientia entis, quæ dicit *indefectionem in essentia.*

Formale perfectionis consistit in *indefectione*, quæ *negationem defectus* infert, ejus scilicet, qui dicit aliquid *abesse* eorum, quæ ad *essentiam* requiruntur; nam licet desit aliquid, quod ad statum rei *accidentalem* & conditionem *extra-essentialem* spectat, non tamen statim tollitur perfectio *transcendentalis.* *Monoculus* homo etiam est perfectus in *essentia* homo.

Divisio.

Divisio.

XI. Perfectio est vel *summa* & *absolute* sic dicta, quæ solius *Dei* est; vel *restricta* & in *certo* genere sumpta, quæ *creaturis* competit.

XII. Bonitas, qua ens est bonum in respectu ad *aliud*, dicitur bonitas in *specie*.

Æquivocationis evolutio.

XIII. Bonitas est vel *vera* vel *apparens*.

Illa in se res *est* bona, ut virtus: *Hac* vero à prava *opinione* tantum ita *putatur* esse bona, cum tamen *intrinsece* mala sit. Sic multi putant bonum esse *otium*, bonum esse *vindictam* privatam, &c.

XIV. Bonitas est vel *Metaphysica*, vel *Physica*, vel *Ethica*.

Illa est conformitas rei cum voluntate divina. *Ista* est convenientia rei extraessentialis ad ejus naturam determinata. *Hæc* est convenientia cum lege naturæ, & significat ipsam virtutem moralem.

Formalis ratio.

XV. Bonitas in specie dicta est convenientia entis, quæ dicit *conformitatem* cum *voluntate divina*.

Hujus *formalis* ratio consistit in *relatione*, qua in

in parte cum *veritate* congruit. *Relatio* illa fertur ad voluntatem, non *humanam*, quæ interdum malum vult pro bono, sed *divinam*.

Divisio.

XVI. Bonitas alia est *per essentiam* & est solius *Dei*, alia *per participationem*, quæ est *creaturarum*.

Deus est *summum* illud *bonum*, à quo omnia *dependent*, quæ *boni* rationem habent. Propter istud bonum omnia bona dicuntur, quæ communicationem istam, qua se diffundit, participant.

XVII. Malum est *privatio boni*, & est vel *culpæ* vel *pœnæ*.

PROBLEMATA.

I. An bonitas sub se comprehendat perfectionem seu speciem?

Affirmatur. Plerique Metaphysici in *definitione* bonitatis *perfectionem* includunt, quod in Exercitationibus Met. dedúximus. Patet ergo, *perfectionem* aliquo modo ad *bonitatem* pertinere. Sed quomodo istuc pertineat, diversæ inveniuntur sententiæ. Nos missis reliquis statuimus, quod perfectio sit bonitatis *abstractissime* sumptæ *species*, quia divisio bonitatis *in se*

&

& *in respectu ad aliud* est legitima (non æquivoca) & quia *alterum* membrum hujus divisionis, bonum sc. *in se* est ipsa *perfectio*. Vide Exercitationes p. 162.

II. An formalis ratio bonitatis consistat in convenientia?

Aff. De *formali* ratione bonitatis diversæ inveniuntur sententiæ, quas vide supra Theorem. 1. Nos eam statuimus consistere in *convenientia*; Nam quæ est ratio *appetibilitatis*, ea quoque est ratio formalis *bonitatis*. Sed *Convenientia* est ratio *appetibilitatis*. Ideo enim *appetimus*, quia nobis *convenit*. E.

III. Quid enti addat perfectio?

Resp. Non addit ipsi novam *essentiam*, quia tantum *modus* est essentiæ. Et si perfectio *abstracte* sumpta esset in se *essentia* aliqua, iterum haberet aliam *perfectionem*, quia omne *ens* est *perfectum*, & nullum patitur in *essentia* defectum. Ita vero fieret progressus in infinitum. 2. Neque addit enti *relationem* aliquam *rationis*. Uti enim ex præcedentibus patet, perfectio est bonitas *in se* spectata, quæ non terminatur aliorsum, sed quasi in sinu suo se continet. 3. Sed *negationem* enti superaddit, negationem scilicet defectus *entitativi*, quæ *nihil* eorum *abesse* dicit, quæ ad *essentiam* requiruntur, uti supra

Theor.

Theor. X. id fuit assertum.

IV. Utrum perfectionis formalis ratio sit indefectibilitas?

Neg. Sunt, qui hoc statuunt. Verum nobis placet ab iis dissentire. Ratio est, *indefectibilitas* non tam dicit enti nihil *deesse*, quam ei nihil *posse* deesse; exprimitur enim per modum *potentiæ*, non *actus*. Sicut *unitas* consistit in *indivisione*, non in *indivisibilitate*, sed potius in *indefectione* consistit, quia mens nostra, cum rem perfectam esse cogitat, non sollicita est, an desicere aliquando *possit*, sed hoc intendit, rem *ipso actu* nullum in essentia *pati* defectum. Adde quod entia *corruptibilia* non sint *indefectibilia*, & tamen *perfecta*.

V. Num detur imperfectio transcendentalis?

Neg, *Perfectioni* opponitur quidem *imperfectio*, sed non *omni*. Perfectio *accidentalis* habet *contrarium*. Puer non potest generare sibi simile, propterea *naturaliter imperfectus* est. Qui incipit operam dare virtutibus, & tamen nondum potest plane affectus regere, is *imperfectionem* sentit *moralem*. Tyro in disciplinis philosophicis de *imperfectione intellectuali* conqueritur. *Essentialis* vero *perfectio*, quæ alias *transcendentalis* vocatur, non habet contrarium; hoc enim esset *imperfectio essentialis*, & diceret

ceret aliquid de *essentia* abesse. Talis vero *essentia* non datur, quæ ex *parte* sit, & ex *parte* non sit; aut *tota* abest, aut *tota* adest. Si est *essentia*, habet omnia, quæ ad *esse* requiruntur: Ergo in *essentia* nulla datur *imperfectio*.

VI. Utrum imperfectio negativa sit proprie imperfectio?

Neg. Imperfectio solet distingui in *privativam* & *negativam*. *Privativam* definiunt, quod sit carentia perfectionis *debitæ* inesse: ut homo est *cæcus*, claudus, surdus: *Negativam*, quod sit carentia perfectionis *non debitæ* inesse (huic cui denegatur) Talis imperfectio in *homine* est, quod non potest *volare*: in *lapide*, quod non potest se *loco movere*: in *Sole*, quod non potest *sibi simile gignere*. Hanc dicimus non *proprie* esse imperfectionem. Imperfectio enim stricte accepta *notat defectum*, quem perfecti) *negat*. Defectus autem *proprie* dicit aliquid *abesse*, quod *deberet* adesse. Jam vero in lapide non *debet* esse facultas *locomotiva*, nec in sole facultas *procreatrix*, nec in homine potentia *volandi*. Ergo harum potentiarum negatio non infert proprie sic dictam imperfectionem. Est ergo ante citata distinctio non *generis* in *species* vel univocas vel analogas, sed *æquivoci* in *æquivocata*.

XIV. An omne bonum sit perfectum?

Aff.

Aff. Species oppositæ in *concreto* possunt de se invicem dici: *Longitudo* & *crassities* sunt species oppositæ quantitatis, de quibus quidem non licet dicere: *longitudo* est *crassities*; recte interim dico: hoc corpus *longum* est *crassum*, imo omne corpus longum est crassum. Recte ergo affirmatur problema, cum tam *bonitas*, quam *perfectio* competat *omni* enti, & sic fieri non possit, ut detur *aliquod bonum*, quod non *simul* sit *perfectum*, sicut non potest reperiri *unum*, quod non sit *verum*. Notandum vero, quod hic bonitas & perfectio intelligenda sit *essentialis*; Nam de *accidentali* non valet assertum universaliter. Rusticus *male* moratus possidet bonitatem *essentialem*, quia *homo* est: Vt plurimum quoque *naturalem*, quatenus *sanus* & *robustus* est; & tamen est imperfectus *moraliter*.

IIX. Utrum detur malitia transcendentalis?

Neg. Defineretur hæc (si daretur) privatio *conformitatis* cum *Divina* voluntate in ipsa *essentia*. Non datur autem *essentia*, quæ hac *conformitate* sit *privata*. Nam omnis *essentia* est à *Deo*. Si hoc, utique eam *produxit* ita, uti *voluit*. Si vero ita est *essentia* omnis, uti Deus eam *voluit* esse, nulla sane caret *conformitate* cum *divina* voluntate.

IX. Utrum bonum sit causa mali?

Dist,

Dist. Si per bonum intelligatur *summum* bonum, *Deus* scilicet, & per malum, *morale* malum, simpliciter negamus quæsitum. Deus enim nequaquam est *author* ullius *peccati*. Si quæritur de malo *naturali*, ejus *causa* sæpe *Deus* est, sed sub ratione mali *pœnæ*. Propter peccata nostra Deus immittit sterilitatem terræ & animalium, intemperiem aëris, imo monstra etiam: Quod innuit Deus Deut. 28. dum dicit: *Nisi observaveris mandata Dei tui, maledictus erit fructus ventris tui, fructus terræ, fœtus boum & ovium.* Vid. nostrum Colleg. Phys. Disp. 3. th. 6. Porro si quæritur, an *Diabolus* & *homo* (uterque in *essentia* bonus) sint causa mali *moralis* s. *peccati*, distinguimus inter causam per *se* & per *accidens*, ut & inter causam *efficientem* & *deficientem*, & dicimus, quod sint causa peccati *per accidens* & quidem non *efficiens* quæ importat *influxum* ad esse causati *realis*) sed *deficiens*; quod enim relinquitur, *defectus* est. *Naturalis* mali causa sunt quidem *creaturæ* in se *bonæ*, sed itidem per *accidens* & quatenus *deficiunt*.

X. Num solus Deus sit bonus per essentiam?

Supra Theor. XVI. assertum est quod bonitas per *essentiam* sit solius *Dei*, ea vero, quæ per *participationem* dicitur, competat *creaturis*. Verum posset quis objicere, quod omne ens sit *transcendentaliter* bonum per *essentiam*, quia præciso

præciso omni *extraneo* propter *esse* suum *bonum* est; Verum Resp. quod cognatum hoc essentiæ *per essentiam*, dupliciter accipiatur. Dicitur enim aliquid esse per essentiam vel ratione *independentis possessionis*, vel ratione *intrinsecæ constitutionis*, quam distinctionem tradidi supra L. 1. C. III. n. 2. *Priori* modo solus *Deus*; *posteriori omne* ens per *essentiam* bonum est; quamvis formula hæc loquendi de creaturis sit rarior.

AXIOMATA.

I. Omne ens est *perfectum*.

Scilicet *transcendentaliter*. *Accidentaliter* quidem potest contingere imperfectio, cum ens deficit in ornamentis, in gradu *intensive*, & aliis *extraessentialibus*. Fit quoque imperfectio *comparate*, quatenus hoc non habet tam *sublimem* perfectionem quam illud. Hinc Scaliger de creaturis cum Deo comparatis inquit Exerc. 140. §. 1. Omnia hæc, non dico singula, sed omnia inquam, atque etiam cuncta & conferta, ita ut ex iis unum fiat, si cum Deo conferantur, non solum mutila & manca, sed etiam nihil, imo, sive liceat, sive non liceat dicere, minus quam nihil sunt. *Essentialiter* vero imperfectum non datur. Sicut enim fieri non potest, ut *ens* maneat, sublata *essentia*: ita nec potest fieri, ut *essentia* maneat, *deficientibus* iis, quæ ad *essentiam* perti-

pertinent. Alias enim *non* esset, quod *est*, & ita à seipsa *aliena* foret. Quando ergo objicitur, hominem & diabolum *perfectionis* statu *excidisse*, reponimus, quod *Ethice* tantum *defecerint*, & *accidentaliter*, non *Metaphysice* & *transcendentaliter*. Diabolus adhuc habet eam essentiam, quam Deus creando ipsi dedit. Homo adhuc est animal rationale, adhuc animam humanam & corpus humanum habet, uti creatus est.

II. Omne perfectum est *ens*.

Perfectum enim est terminus *complexus*, qui complicat *modum* cum *essentia*. Essentia autem est ens. Nil aliud ergo dicitur in axiomate, quam hoc: Omnis essentia, quæ non patitur defectum in esse, est ens.

III. Quicquid perfectionis est in *creaturis*, illud etiam in *Deo* est.

Communis regula est: Nihil est in *effectu*, quod non fuerit in *causa*. Illa & hic valet. Unde enim *effectus* nanciscetur *perfectiones* nisi essent in *causa*? Non vero uno modo continet *Deus* omnes perfectiones *creaturarum*, sed quasdam *formaliter*, quasdam *eminenter* & *virtualiter*. *Formaliter* in Deo sunt istæ creaturarum perfectiones, quæ in *abstracta* sua natura nullam inferunt *imperfectionem*, ut *scientia*, *sapientia*, *intellectus*, *voluntas*, &c. Nec obstat, quod

quod hæc *in creaturis* sint *accidentia*, quæ in *Deo* non cadant. Nam non est de *terminis* judicandum, prout in *hac* vel *illa* materia sunt, sed sicut in *abstractissima* natura apparent. Et licet in creaturis quasdam *imbecillitates* adjunctas habeant, illæ tamen, cum de *Deo* dicuntur, omnes *removendæ* sunt. *Eminenter* vero in Deo sunt istæ creaturarum perfectiones, quæ in *abstracta* natura implicant aliquam *imperfectionem*, ut *auditus*, *locomotiva*, *visus*, *&c.* tales enim involvunt *commercium* cum *materia*; propterea in Deo non sunt *formaliter* & secundum *proprium* conceptum, sed *loco* earum Deus habet *perfectiones* longe *eminentiores*. Homo *auditu* audit, *visu* videt: Hæc Deus *nobiliori* modo præstat per *omniscientiam*, *Locomotiva* facultate homo de loco in locum transit: Hac Deus non indiget, quia jam ante *ubique* est.

IV. Omne ens est bonum.

Ens & bonum sunt *adæquata*: unum tam late patet, quam alterum. Nulla datur *essentia*, quæ non *bona* sit. Nam à *summo bono* non potest aliquid *non bonum* vel *fieri* vel *conservari*, uti Scaliger dicit Ex. 249. s. 3. Nec obstat, 1. Quod Diabolus & homo in bonitate concreata non permanserint; Nam sublata est tantum bonitas *moralis*: *Transcendentale* uterque adhuc habet: Adhuc *Diabolus* ipse est bonus in *essentia*,

tia, quapropter etiam adhuc Deus ipsum in esse *conservat*, quod non fieret, si nihil boni amplius in eo reperiretur. Nec obstat 2. Quod Christus dicit Luc. 18. v. 19. *Nemo est bonus, nisi solus Deus.* Intelligitur enim ibi bonitas per essentiam *independenter*, quam nemo habet nisi *solus Deus.*

V. Omne *bonum* est ens.

Veritas Canonis statim patet, quando cogitamus in *bono* esse *duo*, scil. essentiam, *quæ* dicitur *bona*, & respectum ad *voluntatem* Dei, *propter quem* vocatur *bona.* Objicitur vero 1. quod entia *rationis* quoque dicantur *bona*, ut bonum *figmentum.* Resp. Sicut in iis est *ficta essentia*, ita etiam est *ficta bonitas.* 2. Quod etiam *non entia* sint *bona*, cum Christus dicat Matth. 26. v. 24. de Juda: καλὸν *bonum* s. melius esset ei, *non natum esse.* Verum resp. quod hic *bonitas* significet tantum *minus malum:* Est enim tantum abusiva comparatio, in qua tertium comparationis neutri inest. Quando ergo dicitur *melius* esset Judæ *non natum* esse, quam *Dominum tradere*, ita propositio explicanda est: *non tam malum* esset, non natum esse.

VI. Omne bonum est *communicativum* sui.

Notandæ de hac regula sunt sequentes limitationes 1. Quoddam bonum *necessario*, quod da-

dam *libere* se communicat. 2. Bonum communicat se *quantum potest*. (*Limitanda est hæc, ut obtineat, Authoris (quam vocat) Limitatio ad Bonum scilicet necessario sui Communicativum: Libere enim Communicativum sui Bonum communicat se quantum vult, non quantum potest, ni quando, quantum possit, se & velit Communicare.*) 3. Quantum *aptitudo recipientis* permittit. (*Hic etiam infra Boni naturalis terminos sistendum; nam Bonum Supernaturale scilicet Deus ubi Aptitudinem non invenit, quando vult, facit.*) 4. Quantum *decet*. (*Intelligendo scilicet de Bono Libere sui Communicativo utpote quid deceat, dedeceatve, dijudicandi solummodo Capace.*) 5. Quoad *usum*, non semper quoad *possessionem*.

VII. Omnis *malitia* est in *bono*.

Malitia enim est *privatio* bonitatis, scilicet *accidentalis*. (Nam non datur *malum*, quod opponatur bonitati *essentiali*.) *Privatio* vero semper habet *subjectum* aliquod, in quo dicit aliquid *abesse*. Illud subjectum *ens* est. Omne autem ens est *bonum*. Si ergo omnis *malitia* est in *ente*, est in *bono*.

CA-

CAPUT VI.

De

DURATIONE.

PRÆCEPTA.

Æquivocationis evolutio.

I. Duratio est vel *imaginaria*, vel *realis*.

Imaginaria est, quæ tantum à nobis *concipitur*, revera autem *non datur*. Sic Pontificii quosdam diu, alios vero non diu dicunt in *purgatorio* permanere. Sic filius à *nativitate* patris sui dicitur fuisse in *potentia*. Sic cum durationem *Dei* concipimus per *plura momenta* sibi invicem *succedentia*, duratio *imaginaria* dicitur in respectu ad Deum. *Realis*, quæ vere in *rebus* est.

II. Realis est vel *extrinseca* vel *intrinseca*.

Extrinseca est comparatio durationis ad aliam rem, per modum *mensuræ*. Sic in physicis *tempus* (duratio in se continua) distinguitur juxta *motum* corporum cœlestium in *annos*, *menses*, *dies*, &c. Hæc *improprie* dicitur duratio. *Intrinseca* proprie est ea duratio, quam hic investigamus

veſtigamus, qua omne ens in ſe habet *eſſentiæ permanentiam.*

III. Duratio ſumitur vel *philologice*, vel *philoſophice.*

Iſto modo vi vocis latinæ vulgo ea tantum *durare* dicuntur, in quæ cadit *mora* & *tractus* aliquis temporis, ita ut à duratione excludantur *momentanea*, quia *mora* carent. *Hoc modo* vero & accurate durat omne, quod *veram* & *actualem* eſſentiam habet, ſive duratio ejus ſit *momentanea* ſive *diuturna.*

Formalis ratio.

IV. Duratio eſt *eſſentiæ permanentia.*

§. 1. Elaborandam nobis ſumimus *realem intrinſecam* & *philoſophice* ſumptam *durationem* homonymiis remotis.

§. 2. Hujus *formale* dicimus eſſe *permanentiam eſſentiæ.* Permanentiam vero hic non accipimus in *ſpeciali* ſignificatione, qua *ſucceſſioni contradiſtinguitur*, quam infra in capite de *permanente* & *ſucceſſivo* explicabimus; ſed *generaliter* & in *media acceptione*, quæ tam *permanenti* quam *ſucceſſivo* enti indifferenter accommodari poſſit.

Diviſio.

V. Duratio dividitur primo in *permanentem* & *ſucceſſivam.*

VI. Duratio *permanens* est, quæ absque *fluxu* & *successione* partium sui subjecti *permanet*. Estque *entis permanentis*.

VII. Duratio *successiva* est, quæ non nisi per *fluxum* partium sui subjecti *permanet*. Estque *entis successivi*.

De hac divisione paucas hic ducimus lineas, quia ejus natura exactius ex capite de *permanente* & *successivo* innotescit, quorsum, quæ hic dicenda erant, reservamus.

VIII. Secundo dividitur duratio in *indefectibilem* & *defectibilem*.

Indefectibilis (*à parte ante & à parte post*) dicitur *æternitas*.

Defectibilis vel deficit à parte *ante* tantum, & dicitur *ævum*; vel a parte *ante* & à parte *post*, diciturque *tempus*.

Divisio hæc fundamentum in re habet, quia *tres* sunt *modi*, quibus entia in *esse* suo *permanent*. Nam quicquid est, vel plane est *infinitum*, & caret *principio* & *fine*, ut solus *Deus*; vel plane est *finitum*, & habet *principium* & *finem*, ut res corruptibles, vel partim est *finitum*, partim (*suo* tamen modo) *infinitum*, & habet *principium*, caret vero *fine*, ut *Angeli*, & animæ *nostræ*.

IX. *Æternitas* est duratio, *simplicem* in essendo *interminabilitatem* cum *simplici continuitate*

continuitate conjunctam inferens.

§. 1. *Dari* æternitatem probatur inde, quia datur ens *infinitum*. Quod infinitum est in *essentia*, infinitum etiam in *duratione* sit, necesse est. Dari vero ens *infinitum*, ex lumine *rationis* demonstratur ita: Quodlibet *finitum* finitur ab *alio*. Si hoc, tandem deveniendum est ad aliquod, quod omnia *finit*, & à nullo *finitur*.

§. 2. Ne vero *ambiguitas* alicui obsit, notandum est, quod interdum *tempus diuturnum* in Scripturis etiam dicatur *Æternum*; *Æternæ* etiam dicuntur *propositiones essentiales*, ut cum dico: *uva est fructus vitis*, dicitur esse propositio *æternæ* veritatis, quia tempore *brumali* etiam *vera* est, licet tum non *dentur* uvæ. Aliquando etiam *æternum* dicitur, quod caret termino *à parte posteriori*, ut *vita æterna*. Has ambiguitates *æternitatis* removemus, & *æternitatem* hic accipimus pro *tali* duratione, quæ nec à parte *ante*, nec à parte *post* terminum unquam *habuit* vel habere *potest*.

§. 3. *Formale* æternitatis exprimitur vocabulo *negativo*, dum dicitur simplex in essendo *interminabilitas*. Ubi tamen observandum, (uti hoc occurrit in plerisque attributis *divinis*) quod, licet *negative* se nostræ *menti* sistat, tamen in *se* dicat absolutissimam *perfectionem*.

§. 4. Ad vocem *interminabilitatis* quod attinet, non negat tantum durationis *terminum* à

parte ante & post *actualem*, sed etiam *possibilem*: non dicit tantam *actualem* initii & finis *defectum*, sed etiam *inhabilitatem* ad incipiendum & desinendum. Vult ergo hæc vox, quod ens *æternum* per æternitatem non tantum *non deficiat*, sed quod ipsi etiam *repugnet* aliquando *deficere*.

§. 5. Dicimus porro, quod sit *interminabilitas in essendo*, ut intelligatur non denotari hic permanentiam alicujus *extranei*, sed ipsius *essentiæ*.

§. 6. Addimus etiam, quod sit *simplex* interminabilitas. Hic προσδιορισμὸς ideo additur, tum ut uterque *terminus* removeatur tam à parte *ante*, quam à parte *post*: tum ut denotetur, non *aliunde* eam fluere, sed *independenter* plane *Deo* competere.

§. 7. Quia vero quidam (Greg. de Val. Thom. & alii) etiam statuunt, quod *carere* principio & fine *accidentaliter* tantum æternitatem à tempore *discernat* (quod tamen ipsis nequaquam concedimus) addimus *simplicem* quoque *continuitatem*, ad conceptum æternitatis adhuc expressius sistendum. Continuitas ista (gr. συνέχεια) negat omnem *successionem & fluxum* prioris ad posterius, & ponit *fixum & stabile* τῦν, (quod differt à τῷ νῦν *fluxo* temporis) quod durationem divinæ essentiæ *immobili* quasi *complexu* continet.

V.

V. *Ævum* est duratio, in se *initialem* tantum *defectibilitatem* importans.

§. 1. Æquivoca vox hæc quoque est. Sumitur enim vel *improprie*, pro tempore, quomodo homo dicitur celeriter *ævum suum* traducere, aliisque hominibus esse *coævus*; vel *proprie* pro duratione ea, quam in *Th.* descripsimus.

§. 2. *Formalem* ævi rationem in *initiali defectibilitate* ponimus. Defectibile est aliquid quoad durationem vel *simpliciter*, quod *utrinque* terminum admittit, & tam *initium* quam *finem* habet; vel *secundum quid*, quod ex *altera* parte tantum *deficit*. Ad modum posteriorem spectat *ævum*, quod quidem *initium* habet, *fine* autem caret. Est ergo in eo *defectibilitas* tantum *partialis*, scil. quoad partem *ante*. Ideo dicimus, quod consistat in *initiali* defectibilitate, quia ab *initio* terminum admittit.

§. 3. Addimus quoque determinationem *in se*, qua significatur, *intrinsece* in sua natura *ævum* ita se habere; nam *extrinsece* in respectu ad potentiam Dei *absolutam* res in *ævo* durantes quoque *finem* habere possunt. Conditio creationis, quod Deus produxerit in angelis & animabus nostris talem naturam, quæ cessare *non possit*, ad potentiam ejus *ordinariam* spectat.

§. 4. De *subjecto* ævi communis est sententia, quod *angeli* & animæ *rationales* tantum in

eo durent. Verum salvo aliorum judicio dico, quod etiam *accidentia* ista, quæ non habitura sunt finem, sint *æviterna*. In angelis & animabus nostris est *intellectus*, *voluntas*, &c. *Hæc* tam diu durabunt, quam diu *ipsa*, cui insunt, *essentia*, hoc est, in *æternum*.

XI. *Tempus* est duratio, *defectibilitatem* ab *initio* & *fine* importans.

§. 1. Tempus suum *subjectum* dicit *defectibile*, simpliciter scil. à parte *ante* & à parte *post*.

§. 2. Aliter autem (ad tollendam homonymiam) accipitur tempus in *Physica*, aliter in *Metaphysica*. *Ibi* respectum involvit ad *corpora cœlestia*, juxta quorum *motum* temporis *differentiæ* numerantur. *Hic* vero nude denotat durationem, *initium* & *finem* agnoscentem.

§. 3. Propterea *formalem* rationem posuimus in *defectibilitate*, quæ est *ab initio & fine*. Per hoc enim discriminatur *tempus* ab *ævo*, quod *initialem* tantum defectum admittit.

§. 4. *Subjectum* temporis *Metaphysice* loquendo non est tantum *corpus naturale* (cujus *affectionem* tempus esse *Physici* dicunt) sed *omne ens*, *quod initium & finem habet*. In *tempore* sunt corporum quoque *qualitates*, eorum *actiones*, *passiones*, &c. omnium corruptibilium *essentiæ* & *accidentia* terminabilia: imo ipsæ etiam *operationes* spirituum *finitorum*, & si quid præterea

prætereà est in ipsis, quod aliquando *desinit*.

PROBLEMATA.

I. An creaturis quoque competat duratio permanens?

Aff. Hæc duratio *specialissimè* & κατ' ἐξοχὴν soli Deo tribuitur; quorsum spectat illud, ex *Ps.* 102. Cœli peribunt, *tu* autem *permanes*. Tam *strictè* vero h.l. non accipitur, sed in *genere* notat omnem *durationem*, absque *fluxu* partium *permanentem*. Vid. *Th.* VI. Talis verò duratio competit etiam *creaturis*, & *plerisque* quidem. Quamvis enim sine *Dei* continua conservatione *durare* non possint, non tamen idcirco statim omnes sunt entia *successiva*, quia *totum* suum esse semper *simul* habent pleræque, & per *conservationem* nihil essentiæ de *novo* accedit.

II. An detur duratio instantanea?

Aff. Exemplum esto *generatio* corporis naturalis, quæ in *instanti* fit, absque ullo *temporis* tractu. Quæritur an ea *duret*? Affirmamus. Licet vox *latina* in modo loquendi apud *latinos* auditores usitato hoc non patiatur, tamen ideò nihil decedit usui recepto *Philosophico*. Nam quicquid verè *est*, illud etiam verè *durat*, quia *essentia* & *duratio* nunquam possunt *separari*.

Distinguendum tamen inter durationem, *simpliciter dictam* & *continuatam*. De *ista*, non de *hac* intelligimus assertionem.

III. Quomodo duratio differat ab essentia?

Resp. Non *realiter* differunt. 1. Quia duratio nec superaddit essentiæ novam *rem*, nec ipsam tanquam *modus oppositus* vel *separabilis* respicit, quibus *notis* cognoscitur distinctio *realis*. 2. Quia, si per *additionem* novæ essentiæ differret ab *ea*, non jam esset *permanentia*, sed *augmentatio*, cum tamen *durare* nihil aliud sit, quam *permanenter existere*. Differt ergò duratio ab essentia *formaliter* & *modaliter*.

IV. An æternitas possit ex lumine naturæ cognosci?

Affirmatur, quia etiam *Gentilibus* solo lumine *rationis* instructis aliquid de ea *innotuit*, ubi *Thales* interrogatus, quodnam in tota rerum natura esset *vetustissimum*? respondit, *Deus*, quia nunquam esse *cœpit*. Arist. 11. Met. c. 7. ζωὴ ἡ αἰὼν συνεχὴς ἡ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ. Vita & ævum *continuum* & *æternum* Deo inest.

V. Num in æternitatem cadant temporis differentiæ?

Neg. *Theoremate* IX. duo vocabula posuimus,

mus, quibus æternitatis natura, exprimitur, scilicet *interminabilitatem* & *continuitatem*. Utrumque partem *negativam* confirmat. Nam quod per partium *fluxum*, quo parti *abeunti* pars *nova* allabitur, *durat*, uti *tempus*, illud simpliciter *interminabile* non est, sed aliquem terminum *initii* vel *finis* intra essentiæ complexum admittit. In quocunque etiamdatur partium *successio*; ita ut non totum *simul* sit, & uno stabili τῷ concludatur, illud non est συνεχὲς. *Tempus* vero ita se habet. Ergò *ejus* naturæ non potest cadere in *æternitatem*. Deinde *æternitas* est duratio *infinita*, tempus verò *finita*, quæ sanè non sunt confundendæ.

VI. An sola æternitas sit duratio?

Neg. Dubium quod solet opponi, hoc est, quod *tempus* & *ævum* videantur *per se*, non esse *durationes* sed *partes* durationis, scil. *æternitatis*; idque ideò, quia *duæ* durationes non possint *simul* esse, nisi una sit *pars* alterius. E.g. *dies* & *annus*, dicunt, possunt quidem *simul* esse, quia dies est *pars* anni, non verò duo *dies* duo *anni* simul possunt existere. Respondetur negando adductam rationem. Possunt omninò *duæ* durationes *simul* esse & sibi invicem *coexistere*. Homo constat ex *anima* & *corpore*. Utrumque principium durationem *specie* ab alterius duratione *distinctam* possidet. *Corpus* durat in

tempore, quia habuit *initium*, habebit *finem* (quoad ſtatum *naturalem.*) *Anima* verò durat in *ævo*, quia eſſentia ejus eſt *incorruptibilis*, ita ut *finis* ipſi non metuendus ſit. Rem declaro quodammodo ex hoc ſimili: ſicut *ſpiritus*, cum intravit *corpus*, *ſimul* cum corpore eſt, citra *confuſionem* naturarum & abſurditatem penetrationis *dimenſionum*: ita *ævum* abſque abſurditate in uno etiam ſuppoſito *ſimul* cum *tempore* eſt, ita ut utrumque *ſuam* retineat *naturam.* Breviter ita pro negativa concludimus: Si æternitas habet partes, etiam Deus habebit partes. Si *æternitatis* pars aliqua eſt *permanens*, pars alia *ſucceſſiva*, etiam Deus erit ex parte ens *permanens*, & ex parte *ſucceſſivum.* Ratio connexionis utriuſque eſt, quia *æternitas* eſt ipſe *Deus.* Sed conſequens utriuſque eſt abſurdum. Ergò & antecedens:

VII. *An ævum ſit duratio ſucceſſiva?*

Neg. Ut ritè verò controverſiam decidamus, diſtinguendum primum eſt inter ſucceſſionem *imaginariam* & *realem.* *Imaginaria* eſt, quæ ad modum ſucceſſionis *realis* à nobis *cogitatur* & *fingitur* tantum. *Realis* eſt, in qua *revera* eſt partium ad invicem *fluxus* & *ſucceſſio.* Illo modo poteſt *ſucceſſio* in *ævo* concedi. Verùm de eo non eſt ſtatus controverſiæ; Quæritur enim, an revera detur in *ævo* ſucceſſio: & hoc

hoc negamus, quia ævi *subjectum* (*angelus* anima *nostra* &c.) non est ens *successivum*.

Duratio autem dicitur *permanens* vel *successiva* ab *ente* permanente vel successivo, cujus est duratio.

VIII. *Utrum tempus & duratio successiva æquè latè pateant, ut tempus nihil aliud sit, quam duratio successiva.*

Neg. *Theor.* XI. §. 2. distinximus inter tempus *Physicè* & *Metaphysicè* sumptum: ista distinctio hic repetenda est. *Physicè* quando sumitur tempus, quia sic judicatur juxta respectum ad *motum* corporum *cælestium*, quoad *extrinsecam* hanc habitudinem *omne* tempus est duratio *successiva*. *Motus* enim est ens *successivum*, & ad eum examinatur *tempus* in *Physica*. Hinc communiter solent entis *successive* exemplum dare inter alia *tempus*. *Metaphysicè* verò si consideratur *tempus*, & quidem in *abstracta* sua natura, non *æquè* atè patet cum *duratione successiva*, sed *latius* est & indifferenter se habet ad *permanentem* & *successivam*. Qualis enim est rei, quæ in tempore est, essentia; talis etiam est ejus duratio: Jam verò non omnium, quæ in *tempore* sunt, *essentia* est successiva. Corpora naturalia, propter *totalem defectibilitatem* in *tempore* sunt, non tamen *successiva* sed *permanentia* sunt entia. Ergò etiam non

omnes

omnes hæ res *successivam* habent *durationem*, sed si *ens* est *permanens*, *tempus* etiam ejus erit *duratio permanens*: si *successivum*, *successiva* quoque erit tempus *duratio*. Errant ergò, qui *formalem* rationem temporis in *successione* collocant.

Axiomata.

I. Omne ens *durat*.

Hæc regula patet ex *definitione* durationis, quia dicitur esse *essentiæ permanentia*. Quia ergò omne ens habet *essentiam*, & *illa* essentia (sive *brevi* sive *diu*) *permanet*, sequitur, quod omne ens *duret*? In contrarium solent opponi *partes motus*, quæ sint *entia*, nec tamen *durent*. Nam pars ejus *præterita* non *amplius* est, ergò nec *durat*: pars *futura nondum* existit, ergò etiam non *durat*. Resp. Quævis, res *durat*, quando *est*. Ergo pars *præterita*, quando *fuit*, *duravit*, & eo tempore potuit dici: jam *durat*; pars *futura* durabit: quando *existet*, & tunc etiam poterit dici: jam *durat*. Deinde, quale *ens* est *motus*, talis etiam est ejus *duratio*. At est ens *successivum*, cujus natura requirit, ut quædam partes *effluxerint*, quædam *nondum existant*: Ergo *successiva* etiam est ejus *duratio*.

II. *Solus*

II. *Solus* Deus est *æternus.*

Quod Deus sit *æternus*, facile constat ex ejus *infinitate.* Quicquid enim in *essentia* infinitum est, illud quoque infinitum est in *duratione.* At Deus est *essentia* infinitus. Ergò etiam infinitus est in *duratione*, & per consequens est *æternus.* Neverò quis in dubium vocet minorem, fulcitur hâc ratione, quia necesse est ut omne *finitum* reducatur ad aliquod *infinitum*, ut evitetur processus in infinitum. *Infinitum* verò illud *Deum* esse extra controversiam est. Quod vero præter Deum non sit aliquid, quod non habeat divinam naturam, & æternum sit, id probamus: quia *præter* Deum *nullum* ens est *infinitum*; *infinitas* autem non potest esse absque *æternitate*, nec *æternitas* absque *infinitate.* Una ergo harum remota statim tollitur & altera. Quod verò præter *Deum* nihil sit *infinitum* probatur hoc dilemmate: Si præter *Deum* est quoddam *infinitum*, atque ita *plura* dantur *infinita*, sunt vel *coordinata* vel *subordinata*. Sed non possunt esse *coordinata*, quia se invicem *finirent* & ita nullum esset *infinitum.* Nam necessario (si *plura* essent) *unum* infinitum *ultimatè* distingueretur ab *altero.* Illud, per quod distingueretur, esset *infinita* aliqua *perfectio*, quia in *infinitum* nihil *finiti* cadit. Hac *infinita* perfectione *careret* illud *infinitum*, à quo *distingueretur*, quia aliàs *non differret* ab eo. Quod

verò

verò caret *infinita* perfectione, illud non est *infinitum*, sed eo ipso *finitur*. Hunc in modum omnibus *infinitis*, quotquot statuerentur, aliquid *infiniti* deesset, & sic nullum esset *infinitum*. Nec possunt esse *subordinata*, quia illud, cui reliqua *subordinarentur*, subordinata *finiret*. Esset enim aliqua *infinita* perfectio in *superiori*, propter quam reliqua ipsi *subordinarentur*, quæ non esset in *inferioribus*. Cui verò vel *minimum* perfectionis *infinitæ* deest, illud non est *infinitum*. Ergò non dantur *plura infinita*.

III. Contradictio est, potuisse *creari* aliquod *æternum*.

Multi *Scholastic*orum asserunt, posse dari *participatam æternitatem*, quia possit vel potuerit Deus *creare* aliquid, quod careat *initio* & fine. Sic autem describunt *æternitatem*, quam fingunt, participatam: Accipitur, dicunt, pro re, quæ *actu* nec *principium* habet nec *finem*, cui tamen *principium* & *finis* non repugnat, ut si Deus *angelum* aliquem ab *æterno* produxisset, aut *aliam* creaturam, quæ nunquam esset *desitura*. Sed contradictionem implicat ista *participata* æternitas.

Nam quicquid *creatur*, illud *incipit* esse.

Atqui creatura æterna *creatur* (juxta adversarios)

Ergo creatura æterna *incipit* esse.

In

In conclusione est contradictio *implicita*. Dum enim dicitur, aliquod *æternum* habere *initium* sui esse, nil aliud dicitur quam *æternum* istud *non esse* æternum. Nam quod non *simpliciter* à parte *ante* & *post* est *interminabile*, illud non est *æternum*. Conclusio ergò cum sit absurda, absurda erit vel major vel minor. Non major;

Quicquid enim *creatur*, illud traducitur à *non esse* ad *esse* & ita *incipit* esse.

Ergo *minor* erit falsa, quæ est adversariorum, quod sc. creatura *æterna* possit *creari*.

IV. In æternitate non datur *prius*, nec *posterius*.

Prius vel *posterius* aliquid est vel *origine*, vel *ordine*, vel *successione existentiæ ad aliam existentiam* (qui modi hic sufficiunt.) Axioma non negat prioritatem & posterioritatem *originis*; nec prioritatem *ordinis*; sed eam negat, quæ dicit successionem existentiæ *unius* ad *aliam* existentiam, quia hæc evertit *indivisibile* vũ essentiæ *divinæ*. Existentia enim *prior* non esset existentia *posterior* (aliàs non esset *prior*) & ita *simul* non essent, quod tamen requirit simplex æternitatis συνέχεια.

CAPUT

CAPUT VII.
DE
UBIETATE.

PRÆCEPTA.

Ambiguitatis evolutio.

I. Ubietas ſumitur vel in *contractâ*, vel in *abſtractâ* naturâ.

Contracta ejus natura eſt, quando *ſpecialiter* ſumitur, & ad prædicamentum *ubi* reſtringitur. Olim enim creſcente adhuc Philoſophia omnis *ubietas* in prædicamento *ubi* putabatur locum habere. Quando ergo ſpecialis iſta *ubietas* ſumitur pro *ubietate* in *genere* & in *præciſione*, impropriè ita dicitur, quia non *eſt* quod *dicitur*. Nam idem eſt, ac ſi animal *rationale* ſumerem pro animali in *genere*, quomodo ſane improprie acciperetur. *Abſtracta* natura ubietatis eſt, quando *generaliter* ſumitur, & talem repræſentat conceptum, qui *communis* eſt omni *adeſſentiæ* modo cujuſcunque entis. Ita propriè ſub conſiderationem *tranſcendentalem* cadit.

Formalis ratio.

II. Ubietas eſt *adeſſentia* entis in *ubi*.

Quidam

Quidam Metaphyſici ubietatem vocant *præſentiam*, ſed non adeò accuratè. *Præſentia* enim ſemper involvit aliquem *terminum*. Nihil eſt *præſens*, niſi detur aliquod, *cui* ſit *præſens*. *Ubi tas* verò iſtuc etiam ſe extendit, ubi *nihil* eſt. *Deus* cum dicitur eſſe *ubique*, non intelligitur tantum eſſe in *omnibus* hujus univerſi *locis*, ſed etiam *extra mundum*. Idcirco retinemus nos terminum *ubietatis*. Hujus formale ponimus in *adeſſentia entis in ubi*. Porro quod ad terminum *adeſſentiæ* in noſtra deſcriptione attinet, illa non concipienda eſt, ac ſi inferat *formaliter coexiſtentiam alterius rei*, cui ens, quod dicitur eſſe in ubi, adſit. Deus enim habuit ſuam adeſſentiam, antequam quicquam factum eſt: adfuit enim & non fuit nuſquam.

Diviſio.

III. Ubietas eſt vel *finita* vel *infinita*.

IV. Ubietas *infinita* eſt *adeſſentia* in omnibus *ubi* ſimpliciter *interminabilis*, quæ uno nomine vocatur *ubiquitas*.

§. 1. Hæc ſoli *Deo* competit, & differt ab ubietate *finita*, quæ terminos admittit.

§. 2. Sicut autem interminabilitas *æternitatis* non negat tantum *durationis* terminum *actualem*, ſed etiam *poſſibilem* c. 6. th. IX. §. 4. ita quoque interminabilitas *ubiquitatis* non negat tantum *adeſſentiæ* terminum *actualem*, ſed etiam *poſſibilem*,

possibilem, ita ut, quod *ubique* est *essentialiter* non possit non esse in spatiis infinitis.

V. Ubietas *finita* est adessentia *determinata*.

Hæc spectat ad ens *finitum* & posset dici *alicubitas*.

VI. Estque duplex: vel *definitiva*, vel *circumscriptiva*.

VII. Alicubitas *definitiva* est, qua aliquid sine *circumscriptione* locali ita est *alicubi*, ut *alibi* non sit.

Hæc competit *Spiritibus*, formis *materialibus* & *accidentibus*.

§. 1. *Definitiva* dicitur, quia *definitionem* hanc patitur: *ibi est, hic non est.*

§. 2. Sistit ergo ens *alicubi*, qua in parte differt ab *ubiquitate*, quæ occupat omne ubi. Determinatur verò illud *alicubi* per carentiam *circumscriptionis* localis, qua differt ab *alicubitate circumscriptiva*.

VIII. Alicubitas *circumscriptiva* est, qua aliquid per *circumscriptionem* localem est in *ubi*, quod specialiter dicitur *locus*.

Hæc *soli* & *omni* corpori competit.

Locus differt ab *ubi definitivo* per *circumscriptionem*, quæ datur in *eo*, in *hoc* negatur. Dicitur verò *alicubitas circumscriptiva*, non *passivè*,

passivè quasi ad *formale* ejus requiratur, ut necessariò *alio* corpore ambiente *circumscribatur*. Sed *circumscriptiva* dicitur *activè*, quod scilicet in *tali* subjecto sit, quod *spatium* suum *occupare* & occupando *circumscribere* possit.

PROBLEMATA.

I. An ubietas consistat formaliter in coexistentia alterius rei?

Neg. Nam 1. *affectiones* per se non fluunt ab aliquo *extranco*, sed ex ipsius rei *essentia*.

2. Res in suo *ubi* est, licet omne *coexistens* tollatur. Deus si *absoluta* suâ potentia omnes creaturas iterum in *nihilum*, unde *factæ* sunt, *redigeret*, nihilominus obtineret suam *ubietatem*, quia non esset *nullibi*.

II. *An ubietas in formalitate sua includat operationem?*

Neg. Nullum quidem *ens* invenitur, quod, licet non proprie *effectivam*, *aliquam* tamen *operationem* non habeat. Quia verò simul cum *operatione* ens est in suo *ubi*, sequitur quod ubietati *operatio* sit conjuncta. Sed *materialè* non est in *formale* inferendum. Ergo nec *operatio* ad *formale* ubietatis pertinet. Aliàs quod ad *præsentiam* Dei *modificatam* & *complexam* attinet, ad ejus plenam definitionem stylo biblico exprimendam utique *operatio* requiritur.

III. *Utrum*

III. Utrum Deus etiam sit extra mundum?

Aff. Quia extra mundum potest *operari* & plures mundos creare.

AXIOMA.

Ubietas in omne ens cadit.
Quod *nullibi* est *nihil* est.

TRA-

TRACTATUS POSTERIOR

De affectionibus disjunctis.

CAPUT VIII.

De affectionibus disjunctis in genere.

DEfinitio affectionum *disjunctarum* ex L.II. C.I. Th.4. hic repetenda est, quod scilicet *sub disjunctione de ente prædicentur, & sub complexu utriusque distinctionis membri cum eo reciprocentur.* Hic tantum divisionem earum trademus.

PRÆCEPTA.

I. Affectiones disjunctæ sunt vel *primariæ* vel *secundariæ.*

II. *Primariæ* sunt, quæ magis *intrinsecè* naturæ entis insunt.

Dantur quædam affectiones entis, ut *unitæ*, sic etiam *disjunctæ*, quæ magis *intrinsecâ* immeatione cum entis *essentia* sunt connexæ: Contra aliæ magis *extrinsece* ipsi competunt

Magis

Magis *intrinsecum* sane homini est, esse *ens compositum*, quam esse *subjectum accidentium*. Magis *intrinsecum* Deo est, esse *infinitum*, quam esse *mensuram creaturarum*: esse simplicissimum, quam habere respectum ad res creatas.

III. Primariæ sunt vel *immediatæ* vel *mediatæ*.

IV. *Immediatæ* sunt, quæ *proxime* ex ente fluunt, & *immediate* in eo fundantur.

V. *Mediatæ* sunt, quæ *mediantibus unitis* ex ente resultant.

Primariæ deprehenduntur esse in duplici differentia. Quædam pro *fundamento* habent *immediate* ipsum ens, (in quod omnino omnes affectiones innituntur, licet non eodem modo) Hæ sunt *Necessitas & contingentia*: *Actus & potentia*: *Incorrupt. & corrupt.* *Independens & dependens*: *Increatum & creatum*: *Finitum & infinitum*: *Principium & principiatum*: *Causa & causatum*: Quædam verò *mediate* in ente fundantur, & *immediatum* fundamentum agnoscunt aliam *affectionem unitam*. Ex *unitate* resultant *Simplex & compositum*, *Totum & pars*: *Idem & diversum*: *Communicabile & incommunicabile*, Ex veritate *naturale & artificiale*: Ex bonitate *completum & incompletum*: Ex duratione *permanens & successivum*: Ex ubietate *indefinitum & definitum*.

VI. *Secundariæ*

VI. *Secundariæ* sunt, quæ magis *extrinsece* enti competunt.

Tales sunt. *Subjectum* & *adjunctum*: *Absolutum* & *respectivum*: *Mensura* & *mensuratum*: *Signum* & *signatum*.

VII. Ad divisionem affectionum disjunctarum refertur etiam hæc distinctio, quod aliæ tales sint, ut *unum* membrum conveniat huic, *alterum* alii enti: Aliæ verò tales, ut *utrumque* membrum suo modo *uni* enti competat.

Illæ sunt e. g. *infinitum* & *finitum*, *increatum* & *creatum*, *independens* & *dependens* &c. *Hæ* verò e. g. Idem & diversum; quod enim hoc modo *idem* est, sub diversa consideratione est *diversum*: *Completum* & *incompletum*; Sæpe enim fit, ut aliquod sit completum in *essendo*, sed incompletum in *subsistendo* &c.

PROBLEMATA.

1. *Quomodo differant affectiones disjunctæ à divisionibus entis in essentialiter inferiora.*

Res. 1. Affectiones disjunctæ afficiunt ens παρωνύμως & *extraessentialiter*, dicúntque aliquid, quod *ex* essentia *per se* fluit: Divisiones verò

verò *συναμφω & eſſentialiter*, & dicunt *ipſam* eſſentiam. 2. De membris *diviſionum* in *abſtracto* prædicatur *ens*, ut *accidens* eſt *ens*; De Membris verò *affectionum* disjunct. plerumque in *concreto*, ut *unum* eſt *ens* (non *unitas*) &c. Dantur quidem exempla contraria, ut *causa* eſt *ens* &c. ſed propter defectum terminorum.

2. *An dentur disjunctæ affectiones, quarum membra differant realiter à ſe invicem, non verò ab eſſentia?*

Aff. Non intelligimus hic *realem* diſtinctionem *in rigore* ſumptam, ſed eam, quæ dicitur *ſecundum analogiam*, qualis etiam datur inter *modos oppoſitos*. Univerſaliter quidem non facile poteſt ſtatui, quod in omni *disjuncta affectione* membra *realiter* differant à *ſe invicem*, & non *realiter* ab *eſſentia*: Interim tamen dantur multa exempla, quibus problematis affirmativam ſtabilire poſſumus. Independens & dependens *realiter* differunt à *ſe invicem*, quia *ſubjecta* realiter differunt. *Deus* enim eſt independens: *creatura* dependens. Interim tamen nec *independentia* à *Deo*, nec *dependentia* à *creatura* realiter differt. Sed tantum *formaliter*. Et ſic in aliis. Poteſt hinc quodammodo illuſtrari, quomodo *oppoſitæ relationes* in divinitate *à ſe invicem*, non verò *ab eſſentia* realiter differant.

CAPUT

CAPUT IX.

DE NECESSITATE & CONTINGENTIA.

PRÆCEPTA.

Æquivocationis evolutio.

1. Necessitas est vel *indigentiæ*, vel *coactionis*, vel *violentiæ*, vel *expedientiæ*, vel *immutabilitatis*.

Necessitas *indigentiæ*, græcis χρεία dicta est, quæ indicat, in rerum *difficultatibus sublevandis* non esse cessandum, sed *suppeditanda* ea, quibus *indigemus*. Necessitas *coactionis* est, qua entia rationalia *contra voluntatem* ad aliquid *coguntur*. Ut *fur* cogitur ire ad patibulum. Hæc opponitur actionibus *liberis*. Necessitas *violentiæ*, græcis ἀνάγκη, est, quæ rei *naturali* vim infert ab *extra*, contranitente eo, quod patitur. Ut *lapis*, qui *sua natura* deorsum tendit, *necessario* sursum fertur, per *vim* projicientis. Hæc opponitur actionibus *naturalibus*. Necessitas *expedientiæ* est, quæ propter *utilitatem* hoc vel illud non debere *intermitti* postulat; ut lingua *latina* ad eruditionem acquirendam est *necessaria*. Necessitas *immutabilitatis*, uti dicitur

(quæ propriè est hujus loci) est, qua ens non potest aliter se habere.

II. Necessitas est vel in *operando*, vel in *afficiendo*, vel *prædicando*, vel *essendo*.

Necessitas *in operando* est, qua causa ad unum *determinata* non potest *non* agere, vel *aliter* agere. Sic *Magnes* positis omnibus requisitis *necessario* trahit *ferrum*, non aurum vel aliud quid. Sic *Sol* non potest *non* illuminare nostrum hemisphærium, cum ortus est. Necessitas *in afficiendo* est, qua affectio *inseparabiliter* cum *subjecto* cohæret. Sic *quantitas* necessariò afficit *corpus*: *ignis* necessariò est *calidus*: *homo* necessario est *risibilis*. Necessitas *in prædicando* conspicitur in *propositionibus* necessariis, quæ vel sunt *absolute* necessariæ, scil. vel necessitate *definitionis*, ut *temperantia* est *virtus*; vel necessitate *demonstrationis*, ut omne *rationale* est *docile*, vel necessitate *oppositionis*, ut *corpus* non est *spiritus*; vel *modaliter* per modum *necesse* expresse additum, ut, *necesse* est omne *risibile* esse *hominem*. Necessitas in *essendo* est, qua res *non* potest *aliter esse*. Hæc est hujus loci.

Formalis ratio.

III. Necessitas est, qua ens *tale* est, ut *non* possit *aliter* se *habere*.

Formalem

Formalem rationem *neceſſitatis* non omnes uno eodemque modo deſcribunt. Quidam eam conſtituunt in *defectu reſpectus ad voluntatem noſtram*, quando res *non* dependent *à noſtro arbitrio*. Verum dantur quoque *contingentia*, quæ non à noſtra *voluntate* dependent. E. G. Cum naſcitur *monſtrum*, iſtud ſane *contingens* eſt, & tamen *præter intentionem* noſtram fit. Alii formale collocant in *immutabilitate*. Verum ita formale *contingentiæ eſſet* ponendum in *mutabilitate*. Hoc verò non procedit, quia dantur *contingentia*, de quibus non commode dici poteſt *mutabilitas*. *Decreta* Dei ſuo modo ſunt *contingentia*, non vero *mutabilia*. Sunt quoque, quibus formalem rationem neceſſitatis in *invariabilitate* ponere placet. Sed hi, dum *immutabilitatem* rejiciunt, eo ipſo quoque *invariabilitatem* removent, quia *decreta* Dei ſunt *invariabilia*, & tamen *contingentia*. Nos ergo retinemus generale *formale* Ariſtotelis 4. Met. c. 5. ubi dicit: τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, ἀναγκαῖον φάναι *quod non poteſt aliter ſe habere*, neceſſarium dicimus; non deſcendentes ad determinationem vel immutabilitatis, vel invariabilitatis &c.

Diviſio.

IV. Neceſſitas eſt *vel abſoluta*, vel *hypothetica*.

V. Necessitas *absoluta* est, qua ens in *se* & *sua natura* non potest *aliter* esse, atque est.

Absoluta dicitur, quia *absolvitur* quasi ab *interna* variabilitate, & ab *hypothesi extrinseca* alicujus *circumstantiæ* vel *conditionis*, quæ necessitatem *conditionatam* facit, & ita necessitati *contingentiam* admiscet.

VI. Hæc est vel *simpliciter* absoluta, vel *secundum quid*.

VII. Necessitas *simpliciter* absoluta est, quæ *nullo* modo sinit ens *aliter* se habere.

Hæc soli enti *independenti*, Deo sc. competit.

VIII. Necessitas *secundum quid* absoluta est, qua aliquid ex præscripto *creationis* & inde fluente *immota* causarum cohæsione non *aliter* se habet.

Hæc competit *creaturis*.

§. 1. *Simpliciter absoluta* necessitas potest dici absolutissima & plane *independens*, quia quod per hanc *necessarium* est, (Deus scil.) non tantum *omnimodam* & *summam* obtinet necessitatem, sed illam quoque *à se* & *per se* independenter habet.

§. 2. Ea vero, quæ *secundum quid* dicitur, longe minor est, & ens tantum in certo *genere* & *gradu* necessarium præstat. *Creaturæ* enim, quæ *hac* necessitate gaudent, non planè respuunt omnem modum *aliter* se habendi. Nam potuissent

potuissent vel *non creatæ* vel *non generatæ* esse, si Deus *liberum* opus creationis *intermisisset*, vel causas ad generationem concurrentes *impedivisset*. Possent etiam *non amplius* esse, si Deus eas *destrueret*, vel *influxum conservativum* ad unum momentum saltem *retraheret*. Creaturæ etiam necessitatem, *quam* habent, non *à se* habent, sed à *simpliciter* necessario, unde etiam *dependens* necessitas à nonnullis vocatur.

IX. *Secundum quid* absoluta necessitas est vel *substantiarum*, earumque vel *spiritualium*, vel *corporearum*; vel *accidentium*.

§. 1. Necessitas *spirituum* scil. finitorum est, e.g. quod *necessario* existant *absque mtteria*, sint *incorruptibiles* & *indefectibiles* à parte *post*, &c.

§. 2. Necessitas *corporum*, quæ aliàs *necessitas Physica* dicitur, æstimatur ex necessario *influxu* & *cohæsione* causarum. Estque pro diversitate causarum vel ratione *efficientis*, vel *materiæ*, vel *formæ*. Nam necessitas *finis* ad *hypotheticam* pertinet.

§. 3. *Necessitas* ratione *efficientis* est, quando *positis* omnibus *requisitis* efficiens ita se habet, ut *necessario* producat *effectum*, ut ignis necessario urit stipulam vel stupam: equus necessario generat equum, leo leonem, &c. Hæc *necessi-*

ras verò certa postulat *requisita*, ut sunt: *Habilitas* in patiente: *sufficiens virtus* in agente: *legitima* agentis ad patiens *approximatio*: absentia *impedimenti*: conveniens *medii* (sc. quod interjacet) *dispositio* &c.

§. 4. Necessitas respectu *materiæ*, cum aliquid propter *materiam* non *aliter* se habet. Ut omne *corpus* necessario est *quantum* propter *materiam*, quam sequitur quantitas: Plumbum necessario est *fusile* propter *materiam*: Missa necessario *corrumpuntur* propter *materiam*.

§. 5. *Necessitas* respectu *formæ* est, cum aliquid *non variat* propter *formam*. Hæc necessitas iterum est duplex: vel *constitutionis*, quæ etiam *definitionis* dicitur, qua unicuique *corpori* certa inest *forma*, quæ illud in *determinato*, & ab aliis *distincto* esse constituit. Sic homo propter *formam* est homo: Cœlum propter *formam* est cœlum; vel *consecutionis*, aliàs etiam *demonstrationis* dicta, qua necessario rem comitantur, quæ *formam* sequuntur, ut *affectiones*, v. g. Sol *necessario* largitur inferioribus influxum, magnes *necessario* habet facultatem trahendi ferrum, ignis *necessario* est calidus &c. propter *formam*. Hæc verò ad necessitatem in *essendo* non directè spectat.

§. 6. Necessitas *accidentium* est, quod *propriam* & ab aliis *distinctam necessario* habeant & retineant *essentiam*, ut e. g. *quantitas* non degeneret

generet in *qualitatem*, ut *locus* non fiat *tempus*, & quod propriam *neceſſario* ſibi venduent *formalem rationem*, ut quantitas *extenſionem*.

X. Neceſſitas *hypothetica* eſt, quæ aliquid non ſinit *aliter eſſe*, vel propter *actum exiſtendi*, vel propter *extrinſecam* aliquam *conditionem* ſeu *circumſtantiam*.

§. Hæc in *natura* ſua admiſtam quidem habet *contingentiam*: dicitur verò *neceſſaria* tum propter *actum exiſtendi*, quia omne, quod *eſt*, quando *eſt*, *neceſſe* eſt *eſſe*, licet in *ſe* ſit *contingens*. E.g. Homo *contingenter* fit *doctus*: poſito vero, quod jam *ſit doctus*, *neceſſariò* eſt doctus; tum propter *aliam conditionem*, rei in *ſe* contingenti *extrinſecam*, quæ deſumitur vel 1. à cauſa *efficiente*, eáque vel *morali*, quomodo *bona opera* ſunt *neceſſaria* ob Dei *mandatum*, impii damnantur *neceſſariò* ob *incredulitatem*, vel *tali*, non quidem *naturali*, quæ ad *abſolutam* ſpectat; uti ex Th. IX. §. 3. patet, ſed aut *ſupernaturali*, ut *neceſſariò* ſurdi & cœci ſanantur, ferrum natat, aqua, muri inſtar, ſtat erecta, &c. quia *Deus* vult, & miraculosè iſta efficit; aut *præternaturali*, ut fur *neceſſario* aſcendit furcam, quia à lictoribus cogitur: cereviſia in tubulo doliari ſurſum movetur *neceſſariò*, propter extractum aerem & periculum vacui. Vel 2. à cauſa *finali*, cum aliquid *neceſſarium* dicitur ob

certum *finem* obtinendum, vel *simpliciter*, sine quo non potest obtineri, ut labor *necessarius* est ad eruditionem, vocatur *necessitas exigentiæ*, vel *secundum quid*, quo finis *commodius* obtinetur, ut libri necessarii sunt ad eruditionem: Hæc dicitur *necessitas expedientiæ*.

§. 2. Distinctio inter necessitatem *consequentiæ* & *consequentis* à Metaphysicis in eodem sensu sumitur, quo antecedens, in *absolutam* & *conditionatam*: Sed accurate si eam ponderamus, potius agit de necessitate *complexa*, quapropter ad *Logicam*, unde desumpta, ableganda esset. Sed cum termini per usum valeant, ut nummi, maneat ipsi æquipollens vigor.

Ambiguitas.

XI. Contingentia sumitur, vel nimis *stricte*, vel *adæquate*.

Illo modo omne id dicitur *contingens*, quod fieri *potest*, & non est *impossibile*, quomodo multa *necessaria* etiam essent *contingentia*. *Isto* modo sumitur in respectu ad *causam per accidens*, & est vel *fortuitum*, vel *casuale*. *Hoc* modo verò istud dicitur *Contingens*, quod potest *aliter* se habere. In hac acceptione hic opponitur *necessario*. Quomodo differant contingentia in *essendo*, in *efficiendo*, & in *operando*, ex Th. II. patet.

For-

Formalis ratio.

XII. Contingentia eſt, qua ens *aliter* ſe habere *poteſt.*

Retinemus, ſicut in *neceſſitate*, ita & hic Ariſtotelis *formale*, miſſis opinionibus aliorum de *mutabilitate*, *variabilitate* & reſpectu ad *voluntatem* noſtram. *Formale* verò hoc dicit ens in ſua *natura* (non habito reſpectu ad externam circumſtantiam ſæpè rem neceſſitantem) *tale* eſſe, ut, antequam eſt, *poſſit eſſe*, & *non eſſe*; *poſſit ita*, *vel aliter eſſe.*

Diviſio.

XIII. Contingentia eſt vel *extrinſeca* vel *intrinſeca.*

XIV. *Extrinſeca* eſt, qua aliquid propter *externum* principium *aliter* ſe habere *poteſt.*

Hæc cadit in omnes *creaturas.*

XIV. *Intrinſeca* eſt, qua aliquid propter principium *internum* tale eſt, ut *agere* vel *non* agere, *ita* vel *aliter* agere poſſit.

Hæc tantum competit agentibus ex arbitrii *libertate*, ſc. Deo, Angelis & hominibus, & quidem ex parte *effectus* vel *actus.* Nam *cauſa*, quæ dicitur *libera*, non ſtatim ideò in *eſſendo* eſt *contingens.*

PRO-

PROBLEMATA.

I. An detur necessitas, & contingentia.

Affi. §. 1. Duæ olim fuerunt opiniones contrariæ (quarum semina adhuc se movent) altera negavit *necessitatem*, & omnia *fortuito* accidere putavit, quam tribuunt *Epicuræis:* altera sustulit *contingentiam* & *fatalem* omnium, quæ fiunt, *necessitatem* obtinere contendit, quam *Stoicis* asscribunt. Utraque falsa.

§. 2. *Necessitatem* probat rerum *uniformis* conditio & *necessarius* effecti cum causa *nexus.* Sol perpetuo *movetur*, & non nisi miraculo quiescit: cum *ortus* est, *necessario* efficit *diem.* Ignis *omni* tempore est *calidus.* Folia betulæ, tiliæ, rutæ, pomi, pyri, cariophyllorum, nasturtii, cochleariæ &c. eandem *quotannis* figuram, eundem colorem, odorem, saporem exhibent.

§. 3. *Contingentia* probatur *ex sensu*, quia, qui cruciatur, posset non cruciari: ex *libertate voluntatis nostræ*; possumus enim loqui & non loqui, ambulare & quiescere, studere & non studere: *ex inopinis*; qui in viis suis occiditur, posset non occidi, quia alii incolumes evaserunt: *ex consultatione*; de inevitabilibus enim non consultamus: *ex legibus*, quæ otiosæ essent, si homo *necessario* delinqueret.

II. Utrum

II. Utrum contingentia detur necessario?

Distinguimus inter contingentiam in actu *signato*, & *exercito* sumptam. In *actu signato*, quatenus exhibet *communem* naturam omnium *particulariter* contingentium in idea, *necessario* datur, cum alias omnia secundum *Stoicos* essent *necessaria* In actu *exercito*, quatenus *particulariter* est in *hac* vel *illa* re contingenter se habenti, non datur *necessario*.

III. *An tria tantum sint agentia libera, Deus, Angelus & Homo?*

Aff. Nam in hæc tria tantum cadit *intellectus* & *voluntas*, fine quibus non datur *liberum arbitrium*. Nec obstat 1. quod *bruta* quoq; habeant *indifferentiam* ad agendum, quia e. g. canis jam *prorsum* jam *rursum*, avis jam *sursum* jam *deorsum*, prout placet, *moveatur*; hirundo nidum sub *hac* struat trabe, *aliam* negligat &c. Nam talia faciunt beneficio *phantasiæ*, quæ quia *discursu* caret, *necessario* ad unum fertur. Nec obstant 2. *inanimata*, quod e. g. lapis è sublimi in plateam decidens *indifferens* sit, ut *hunc* vel *istum* lapidem stratæ viæ concutiat: Nam si plane sibi relictus sit, *necessario* tangit ipsum, qui inter ipsum & centrum terræ in linea recta interjacet.

IV. *Num*

IV. *Num contingentium nulla sit scientia?*

Dist. Datur eorum scientia in actu *signato*. Oportet Metaphysicam de iis agere, ut naturam eorum declaret. Non datur scientia de ipsis in actu *exercito*, e. g. de Alexandri nuptiis, de Caspari lapsu, de Margaretæ amisso serto.

V. An inter necessarium & contingens detur medium?

Neg. Quia *contradictoriè* sibi opponuntur, *posse* & *non posse* aliter se habere. Quidam putant, quod *liberum* sit medium, quia actus Dei sunt liberi, & verò nec *necessarii*, (quod putant per se patere) nec *contingentes*, (quia *contigentia* dicat *imperfectionem*) possint vocari. Sed actus Dei *vel terminantur ad Deum.* (ut cum Deus *seipsum* cognoscit, & amat) & sic *necessarii* sunt, quia sunt *ipse* Deus; vel *terminantur ad objectum aliquod externum,* (ut *creatio* mundi) ita sunt (quatenus terminantur aliorsum) *liberi* & *contingentes*; Contingentia verò, hic non *imperfectionem* involvit, quia in *se* & *sua* natura spectata non statim dicit *casuale*, sed quod *potest* aliter esse: *Contingentiam essendo, non operando, imperfectionem dicit.*

AXIO-

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *necessarium* vel *contingens*, & quicquid est vel necessarium vel contingens, illud est *ens*.

Intelligitur *verum* & *reale* ens, *vera* etiam *necessitas* & *contingentia* scil. in *essendo*.

II. Nullum datur *necessarium*, in quod non cadat *contingentia*.

Deus, licet ens *necessarium simpliciter* absolutum sit, tamen admittit *contingentiam*, eam quidem *extrinsecam*, quæ est ipsa arbitrii libertas. De *angelis*, *homine* & reliquis *creaturis* res clara est.

III. Omne *quod* est, *quando* est, *necesse* est esse.

Sc. Posito *actu essendi*: non quoad *statum antecedentem*.

IV. *Indifferentia* ad *bonum* & ad *malum* non est de essentia *libertatis*.

Sc. ut *utrumque* possit eligere. *Dei* voluntas est *libera*, ad *bonum* tamen est *determinata*.

V. Ab *uno* necessitatis modo ad *alterum* non licet argumentari.

Quod ex *hypothesi* est necessario non statim *absolutè* est necessarium.

VI. Dei

VI. Dei *præscientia* non infert rebus *necessitatem.*

Quia non est rerum *causa.*

CAPUT X.

DE *ACTU ET POTENTIA.*

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Potentia est vel *transcendentalis* vel *prædicamentalis.*

Illa proprie est hujus loci, & appellationem suam obtinet ex *amplitudine*, quia omnia genera *transcendit.* *Hæc* verò strictior est, & ad *qualitatem* coarctatur, cujus *species* est, ut *potentia* ridendi, generandi, urendi, ferrum trahendi, &c. *Illa* tantum dicit *affectionem* entis; *Hæc* vero *peculiere ens est.*

II. Potentia *transcendentalis* sumitur vel *negativè*, & dicit *non-repugnantiam* ad existendum: vel *positive*, & sic est aptitudo ad aliquid.

Restringimus hanc distinctionem ad *transcendentalem*, secus ac alii, quia *prædicamentalis* potentia

potentia semper est *ens peculiare*, & ita semper *positivè* accipienda est, cum omne ens sit *positivum*. Coincidit hæc distinctio fere cum ea, qua aliud est *esse in potentia* & aliud *potentia ipsa*: Nam quod adhuc *in potentia* est; id nondum est, sed potest aliquando esse, & sic duplex ei competit negatio, scil. *essentiæ*, quam nondum habet, & *repugnantiæ*, quia non repugnat existere. E. G. Filius post aliquot annos generandus, est in *potentia*, scil. *negative*, quia *nondum existit* in mundo, iterim tamen non *impossibile* est ut *existat*. *Potentia ipsa* vero cum dicitur de aliqua re, jam datur in mundo ea res, quam afficit *potentia*, et per eam potentiam res habet *aptitudinem* ad aliquid. Potentia vero *negative* sumta *impropriè* dicitur potentia, quia non *afficit* ens reale, sed *negat* potius illud, & opponitur illi. Quapropter etiam ens in *potentia*, tanquam ens *æquivocè* tantum sic dictum, removimus ab *objecto* Metaphysicæ. *Propria* acceptio *potentiæ*, quæ hic valet, est cum *positivè* sumitur. Ne verò aliquis objiciat, quod *affectiones* enti non addant aliquid *positivi*, notetur hic distinctio: Quod positivum accipiatur vel *generaliter* vel *specialiter*. *Generaliter* positivum dicitur, quod revera datur circa *fictionem* mentis, sive sit ens *propriè* dictum, sive sit ens *propriis* dictum, sive *modus* entis. *Specialiter* positivum est, quod *realem* habet *essentiam*.

Ponit

Ponit ergo positivum vel *affectionis* competentiam, vel *essentiam*.

III. Potentia est vel *objectiva* vel *subjectiva*.

Objectiva est, secundum quam aliquod potest produci. Hæc tribuitur rei nondum existenti & ita vocatur, quia res, quæ ita dicitur esse in *potentia*, est objectum alicujus *potentiæ activæ*, quæ eam *producere* potest.

Subjectiva est, secundum quam res aliquid potest. Hæc tribuitur rei *jam existenti*, & ideo dicitur *subjectiva*, quia res jam existens est *subjectum modi sui*. Hæc est hujus loci.

Formalis ratio.

IV. Potentia est id, secundum quod ens potest aliquid.

§. 1. Remotâ potentia *prædicamentali, negativa* (in suo sensu) & *objectiva*, definimus hic *transcendentalem, positivam*, & *subjectivam*. Ejus *formale* ponimus in *posse*, ita scilicet, ut *præscindat* ab omni eo, quod ens *posse* dicitur, scil. ab *agere* & *pati*. Tam enim *potentia* dicitur ea, qua ens potest *agere*, ut cum Deus sua *potentia* conservat mundum: quam ista, qua aliquid potest *pati*, ut cum homo *potentiam* habere dicitur ad *eruditionem* ab aliis *addiscendam*.

§. 2.

§. 2. Sunt, qui ita potentiam definiunt: *Potentia est, quæ recipit actum, aut largitur actum*: Verum hæc definitio non potest omnibus *potentiis* applicari. Lumen in aëre habet *potentiam*, ut possit *annihilari* recedente sole. Hæc potentia nec *recipit* actum, quia ipsa *essentia* petit, cui *affectio* deberet inniti: nec *largitur* actum, & tamen revera potentia est.

Divisio.

VI. Potentia dividitur in *activam* & *passivam*. Activa est secundum quam aliquid *agere potest*: Passiva, secundum quam aliquid *pati potest*.

§. 1. *Activum* & *passivum* hic non ex *prædicamentalis* explicandum est, quasi peculiare ens statim sit *activa* itemque *passiva* potentia, ne confundatur potentia *transc.* cum pot. *naturali*, quæ species *qualitatis* est, & itidem in *activam* & *passivam* dividitur; sed termini sunt in *ampliatione* justa intelligendi & in natura *abstractissima* accipiendi.

§. 2. Aliqui ita definiunt: Activa est vis agendi *in aliud*: & vocem *aliud* accipiunt tam ample, ut possit quoque *non enti* attribui. Verum hæc acceptio fluit ex ea *hypothesi*, quod ens in *potentia* sit *verum* ens (si *hoc*, potest omnino *aliud* dici,) quam tamen isti non concedunt

dunt. Ideoque nos illam vocem in defin. omisimus.

VI. Potentia passiva est vel *naturalis* vel *obedientialis*.

Quidam hanc divisionem applicant ad potentiam *simpliciter* sumtam, quatenus præscindit ab *activa* & *passiva*. Hi comparant potentiam *obedientialem* ad *actum* istum, qui complet eam; & hunc non tantum *passivum*, sed etiam *activum* sæpe esse concedimus. Sic in asina est potentia obedientialis *activa* ad loquendum. Nos verò comparamus potentiam ad *agens superius*, cui *obeditur*, & sic potentia *obedientialis* non nisi *passiva* est. Ideò hanc divisionem ad *passivam* restringimus.

VII. *Naturalis* est, qua ens à *natura* est *aptum* ad aliquid. Sic in *semine* equi est *potentia Naturalis* ad *figuram* equi recipiendam.

Obedientialis est, qua ens citra *naturalem* inclinationem *non repugnando* aptum est, ut *obediat* agenti superiori ad aliquid, ut potentia in *aqua*, ut *vinum* fiat.

Hæc dicitur vel in ordine ad *Deum*, quomodo omnes res creatæ possunt fieri omne, quod non implicat *contradictionem* nullo modo conciliandam. Sic lapis potest fieri homo, aqua vinum,

vinum, &c. vel in ordine ad *angelos*, à quibus *pulvis* potest in *corpus* humano simile *transformari* & ita *moveri*; vel in ordine *ad homines* quomodo *argilla* potest recipere formam *lateris*, *æs* formam *companæ*, &c. vel etiam in ordine ad *bruta*, quomodo *lutum* habet potentiam, ut exinde hirundo *nidum semicircularì* figurâ struat: *cera*, ut *apes* inde *sexangulas* cellulas forment.

VIII. Potentia activa est vel *infinita*, vel *finita*.

IX. Infinita solius *Dei* est: & distinguitur in *absolutam*, qua Deus omnia *simpliciter* possibilia *potest*: & *ordinatam*, qua ex *hypothesi* ea tantum *potest*, quæ *vult*.

§. 1. *Objectum* potentiæ *absolutæ* sunt omnia *possibilia*, quæ enim *non possunt* fieri, nequeunt esse *objectum* potentiæ. Addimus verò *simpliciter*, ut intelligatur, non ea tantum posse *Deum*, quæ *nobis* sunt possibilia, sed quæ *absolute* & absque ulla *restrictione* sunt possibilia, licet *nobis* etiam impossibilia videantur. *Simpliciter* verò possibilia sunt omnia, quæ non involvunt *contradictionem*, & talem quidem, quæ in *mente Dei* nullo modo potest *conciliari*. Non enim judicium de vera *contradictione* hic in parte permittendum est *nostræ rationi*.

§. 2. *Ordi-*

§. 2. *Ordinata* potentia dicitur vel *respectu ordinis in naturam instituti* & sic Deus aliquando agit juxta *absolutam* quoque *potentiam*, in *miraculis* scilicet: vel *respectu reliquorum attributorum*, præsertim *voluntatis*; Sic Deus non agit juxta *absolutam* potentiam, quia aliàs contra *decreta* sua ageret. Non autem desinit Deus omnia *posse*, quia non vult perficere, sed sicut nos sæpe ideò aliquid *non possumus*, quia ad istud intermittendum *libere* nos *obligavimus*; ita *ex hypothesi* non *potest* Deus, quod non *decrevit*, interim *absolutè & simpliciter* etiam illa, quæ non *decrevit*, potest; quia alias non esset *omnipotens*.

X. Potentia *finita* est *creaturarum*.

XI. Aliter potentia dividitur in *rationalem* & *irrationalem*. Illa gubernatur ab *intellectu*. Hæc *non*.

§. 1. Divisio hæc de triplici subjecto intelligitur, scil. vel *specialiter* de potentiis *hominis*, quarum quædam obediunt *rationi*, ut *sensus*; quædam non ut facultas *auctrix*: vel *generaliter* de potentiis animæ in *communi*, eodem sensu: vel *generalissime* de potentiis *cujuscunque* entis, ut sit sensus: omnis potentia est vel *rationalis* vel *irrationalis*. Et hoc modo nos eam intelligimus: *Rationalis* potentia est, quæ ab *intellectu* dirigitur, & cadit in *Deum*, (si

activa

activa sit) *Angelos* & *homines* (quamvis in homine etiam detur *irrationalis.*) De *Dei potentia* dubitant quidam, an sit *rationalis*, quia scil. non cum *discursu* conjuncta sit, quem *ratio* involvit. Sed *rationale* hic sumitur in ordine ad *intellectum praecise*, qualiscunque etiam sit: Intellectus autem in Deum cadit. *Irrationalis* potentia intelligenda est sub negatione *infinita*, ut omnis illa dicatur *irrationalis*, quæ est *non rationalis*, ut *potentia* ad producendos *dentes* in homine, potentia mundum *illuminandi* in Sole, potentia *nutriendi* in pane, &c.

§. 2. Communiter hanc divisionem applicant tantum ad potentiam *activam*; sed non video, cur non possit trahi ad potentiam *simpliciter*, ita ut dicatur etiam: omnis potentia *passiva* est vel *rationalis* vel *irrationalis*. Hominis potentia *discendi* linguas ab *alio*, est *passiva*; & quia ab *intellectu* gubernatur est *rationalis*. Mixta quod possunt *corrumpi*, fit per potentiam *passivam irrationalem*.

Distinct. nominales.

XII. 1. Actus est vel *transcendentalis* vel *prædicamentalis*.

Transcendentalem, qui hujus loci est, postea definiemus.

Prædicamentalis est ipsa *actio*, quæ *peculiare* prædicamentum constituit.

XIII.

XIII. 2. Actus est vel *primus* vel *secundus*.

Actus primus est ipsa essentia cujusvis rei, qua potest agere aut pati. Non verò ipsa essentia *nuda sumta* est *actus primus*, quasi synonymum entis sit *actus*; sed *modificata*, quatenus sc. respicit *actionem* vel *passionem*.

Actus secundus est actio, vel passio ejus rei, quæ dicitur actus primus. Plerique putant, quod *actio* tantum sit *actus secundus*; verum sine dubio etiam *actus primus* est *posse*, (e g.) calefieri, & *actus secundus*, de facto *calefieri*. Unde sequitur, quod *passio* etiam sit *actus secundus*. Breviter, omnis *potentia* (licet non sola) est *actus primus*, sive sit *activa* sive *passiva*: Et omnis *actus* potentiæ tali respondens est *actus secundus*. Hinc non nemo putat, quod distinctiones *synonymicæ* sint *potentia* & *actus*, item *actus primus* & *actus secundus*. Nos verò statuimus, quod *actus primus* latius pateat quam *potentia*, quia id, quod per potentiam *agit* vel *patitur*, etiam est *actus primus*, *Formaliter* & *immediatè* principium *agendi* vel *patiendi* est potentia: *Suppositaliter* verò & *mediatè* illud, cujus est potentia.

XIV. 3. Actus est vel *signatus* vel *exercitus*.

Signatus est, cum res in universali natura repræsentatur & communi definitione signatur.

Sic

Sic Metaphysica *signat* & *definit* durationem in actu *signato* & *abstracta* natura.

Exercitus est, cum natura universalis in particulari applicatur & quasi exercetur. Sic Pneumatica etiam agit de duratione non *ut sic*, sed *tali*, scil. *ævo*, ad quod naturam durationis *communem* applicat.

XV. 4. Actus est vel *essentiæ* vel *subsistentiæ.*

Actus essentiæ est ipsa essentia: Actus subsistentiæ est, secundum quem res subsistit. Hic *solis* competit *subsistantiis.*

XVI. 5. Actus est vel *entitativus* vel *formalis.*

Entitativus est, per quem existunt ea, quæ intrinsece non habent formam.

Formalis est, per quem existunt ea, quæ ex materia & forma sunt composita. In distinctione hac *actus* sumitur pro *essentia.* Ergo hoc dicit distinctio: res alia per *essentiam*, alia per *formam* est, quod est.

Formalis ratio.

XVII. *Actus* est id, secundum quod ens (*quatenus actuale est*) absolvitur à *potentia.*

Sic ambulatio dicitur *actus*, quatenus non amplius *potest fieri*, sed jam de *facto fit.* Sic Deus est *actus* quatenus non *potest esse* Deus, sed

sed *est* Deus. Non autem per *actum* de Deo planè negatur *potentia*, sed tantum in conceptu *reduplicationis*. E. G. Deus *actu* conservat mundum, ergo quatenus *actu* conservat, non *potest* eum *saltem* conservare, loquendo sc. de conceptu *reduplicationis*: aliàs *absolutè* omnino *potest*. Sic *ipsa potentia* Dei, quatenus non *potest saltem* esse, sed *jam* est *potentia*, *actualis* dicitur.

Divisio.

XVIII. Actus est vel *purus* vel *impurus*.

XIX. Actus *purus* est, cui non *conjuncta* est potentia *passiva*.

Hic *soli Deo* competit, (in quem nulla cadit potentia *passiva*, si *simpliciter talis* intelligatur. Nam *secundum quid*, *purus* iste quoque dicitur, qui non est *conjunctus materiæ*, & caret *potentia materiali*, quomodo Angelis & animabus separatis tribuitur *purus actus*.

XX. Actus *impurus* est, cui *passiva* potentia *imprimis cum materia*) *juncta* est.

Hic omnibus *creaturis* convenit, modo tamen diverso. *Corporibus* & *Corporeis* entibus actus *simpliciter* impurus. *Spiritibus* & entibus *Spiritualibus* actus *secundum quid* impurus competit.

PRO-

PROBLEMATA.

I. An dentur potentiæ, quæ simul sint actus?

Aff. Sed sub *diverso* respectu. Potentia *Dei* omninò est *actus*, quia non *potest saltem* esse potentia, sed *jam est*. Alium verò respectum habet, cum *potentia* dicitur, quatenus scil. aliquid *agere potest*. Obj. Si *uni* enti competit simul *actus* & *potentia*, non erit *disjuncta* affectio. Resp. *Disjunctæ* vel sunt tales, ut *una* pars huic, *altera* alii enti tribuatur: vel tales, ut *utraque* pars conveniat uni enti, sed sub *diversa* consideratione. Ad *has* spectat *actus* & *potentia*.

II. Num actus & potentia ita faciant disjunctam affectionem, ut ens actu dicatur, quod existit, ens potentia, quod non existit, sed potest existere?

Neg. *Negationis autem hæc est Ratio*, cujus distinctionis membrum unum tantum *enti*, alterum *non-enti* competit, illa non dat *disjunctam* affectionem *entis*. Sed disjunctio *actus* & *potentiæ* dicto modo accepta est talis. E. *Major* probatur, quia disjunctio debet talis esse, ut *vera entitas* sub utroque membro reperiatur. *Minor*, quia *ens* in *potentia* non est *ens reale*, alias esset vel *increatum* vel *creatum*. Non illud,

quod patet. Non hoc, quia *creatio* omnis terminatur ad *esse actuale*.

III. An detur potentia objectiva?

Neg. Quoniam quod *nondum est*, non *potest* habere *potentiam*. Vid. Th. III. Si verò *est ens*, non erit *objectiva*, sed *subjectiva* potentia.

IV. Utrum potentia activa recte definiatur principium transmutandi aliud?

Neg. Quia nimis est *stricta*. Actiones *immanentes* Dei non mutant *aliud*. Ergò potentia *activa* ad istam *actionem* hac definitione non exprimitur. Amplianda ergò est.

V. An potentia obedientialis sit propriè dicta potentia?

Aff. Plerique eam *æquivocam* vocant. Sed arg. Quodcunque ens propriè *fit* aliud, illud propriè *potest* illud fieri. Atqui aqua e. g. *propriè fit* vinum *Joh.* 2. 9. E. *Major* patet; si enim *impropriè solum posset* illud fieri, non *propriè posset* fieri. Aut est *propriè possibile*, aut *propriè impossibile*. Nec Deus, nec ulla ceatura aliquid *propriè facit*, quod non est *propriè factibile* & *possibile*. Si *propriè* sit *possibile*, habet *potentiam* ad fieri *propriè* sic dictam. Sed dicis, *pot. obed.* est *negativa*, & consistit in *non-repugnando*. R. Non novum est *attributa* entis in *negatione* consistere, & tamen *propriè* de eo dici, quod de *unitate*, *perfectione* &c. manifestum.

VI. An

VI. An Deus possit contradictoria & impossibilia?

Neg. Intelligenda verò sunt *simpliciter impossibilia*, ita ut Deus etiam nullum modum, quo fieri possint, invenire queat. Quæ *sic* sunt *impossibilia*, ea Deus *non potest*, quia objectum *potentiæ* aliquo modo oportet esse *possibile*. Aliàs, quæ *nos* non possumus, nec intelligere possumus, quomodo à *Deo* præstari *queant*, ea non temere *Dei* potentiæ deneganda sunt. *Simpliciter contradictoria* etiam hic sunt intelligenda, id est talia, quæ ipse Deus omni sua sapientia nullo modo *conciliare* valet. *Talia* non potest. Ita in *genere* ad problema tuto responderi potest. In *particulari* autem, præsertim quoad *creaturas*, impossibile est *humano* intellectui semper determinare, *quanam* sint talia *impossibilia & contradictoria*; & forsan pauca exempla sunt (in respectu ad reliqua) in quibus tuto licet dicere: *Deus hoc non potest*. Ratio prægnans hæc est quia Deus potest facere ὑπὲρ πάντα καὶ πάντων ἐκ περισσοῦ superabundanter ultra omnia, quæ intelligimus *Eph.* 3, 20. *Quæ vero simpliciter sunt possibilia dicendum potius ea non posse fieri, quam Deum ea non posse facere; maxima in Rebus impossibilitas haud minimam arguit in Deo impotentiam.*

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *actuale*, vel *potentiale*.

Non est divisio in *res* diversas, sed *rationes* diversas, ita ut sub *alia* atque *alia* consideratione *utroque* membro possit *paronymicè* denominari *unum* ens. Per *Potentiale* autem hic non intelligendum est *ens* in *potentia*, quod *nondum* est (illud si ita dicitur, improprie & ex falsa hypothesi ita dicitur.) Sed ens *reale*, quatenus *agere* vel *pati* potest.

II. Potentia non *excedit* suum objectum *a. dæquatum.*

Hoc est, *Potentia* non potest circa *plura* exercere suum *actum*, quam quæ sub *objecto* continentur. Hinc mirum non est, quod Deus non possit *impossibilia*, & homo non possit Deo impossibilia *determinare*; talia enim non sunt *objectum* potentiæ utriusque. Nec tamen ita *potentiæ* aliquid decedit. Non minuitur potentia *audiendi* eo, quod non possit audire *colorem.*

III. *Quodlibet* potest fieri *ex quolibet.*

Scil. per potentiam *obedientialem.* Sed quousque non involvitur *contradictio* irreconciliabilis, quam nos non semper scimus.

IV. Posito

IV. Posito actu *secundo* necessario infertur actus *primus*: sed posito *primo* non continuò infertur *secundus*.

E.G. Quicunque *ambulat*, necessario habet *animam*; sed non omnis statim *ambulat*, qui *animam* habet.

CAPUT VII.

DE CORRUPTIBILITATE ET INCORRUPTIBILITATE.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Corruptibilitas dicitur vel *proprie* vel *improprie*.

Proprie dicta est ea, qua id, quod in mundo revera est, *potest* aliquando *non esse*. *Improprie* dicta ea est, qua *non ens*, quod *antea* aliquod ens *denominavit*, *cessat* istud *denominare*. Sic *morbus* dicitur *corrumpi*, cum homo restituitur *sanitati*.

Formalis ratio.

II. Corruptibilitas est *potentia ad non-esse*.

Potentia hæc, qua natura *corruptibilitatis* exprimitur, non est *prædicamentalis* species ea *qualitatis*, quæ non ad *omne* corruptibile se extendit, sed *transcendentalis*, eaque non *activa*, sed *passiva*, & hæc quidem in eo sensu, quatenus præscindit à *naturali* & *obedientiali*. Quia ergò ita *corruptibilitatis* natura ex doctrina de *potentia* explicanda venit, immediate ei subjungenda fuit.

Divisio.

III. Corruptibilitas alia est *ab intra* ratione principii *interni*; alia ab extra ratione principii *externi*.

IV. Corruptibilitas *ab intra* est, secundum quam ens *in se* continet principium interitum minans; quia scil. ex pluribus *contrariis* est *compositum*, in quæ *resolvi* potest, ut homo *post lapsum*, *equus*, *arbor*.

V. Corruptibilitas *ab extra* est, secundum quam ens *in se* quidem non habet principium interitum minans, propter *externum* aliquod tamen destrui potest, ut *Angelus*, *cœlum*.

§. 1. Quidam aliter efferunt hos *terminos*, & corruptibile dicunt esse aliquid vel ratione

causæ,

cauſæ, vel ratione *ſubjecti*. Sed res eodem recidit. Corruptibilitas ratione *cauſæ* eſt ea, quam vocamus *ab extra*, quæ dicitur ratione *ſubjecti*, illa ipſa eſt, quam nos vocamus *ab intra*.

§. 2. *Corruptibilia ab intra ſunt corpora mixta*, quia conflata ſunt ex inimicis irreconciliabilibus. Aqua ſemper repugnat igni, ignis aquæ, *&c.* Datur verò diſcrimen aliquod inter mixta: ut alia *citius*, alia *ſerius* corrumpantur, prout qualitates *contrariæ* in temperamento vel *magis* vel *minus* ſunt ad *æqualitatem redactæ*. *Exactius* temperamentum habet *aurum*, quam *tilia*, propterea etiam *diutius* durat.

§. 3. *Corruptibilia ab extra ſunt ſpiritus creati, corpora ſimplicia & accidentia.* Deus poteſt *angelos* etiam annihilare: deſtruet *cœlum* die noviſſimo, quod alias nunquam interiret. Imo ampliando terminum poſſunt corruptibilia ab extra etiam vocari *corpora mixta*, eo ſcilicet tempore, quo nondum à *principio interno* imminet ipſis fatum *corruptionis*. Omnes enim *creaturæ* habent potentiam *obedientialem* quidvis à *creatore* quocunque tempore *patiendi*. *Accidentia* corrumpuntur, *vel, quando ſubjectum perit*; ut quantitas combuſti ligni: *vel, cum cauſa deſinit influere*, ut actiones, quæ ex *continuo influxu* agentis dependent, & illo

ceſſante ne ad *momentum* quidem *durare* poſſunt. Sic *lumen* corrumpitur remota *luce* & corpore lucido: *imago* in *ſpeculo* perit, cum *homo* receſſit, &c.

Formalis ratio.

VI. Incorruptibilitas eſt *inhabilitas ad non eſſe.*

Diviſio.

VII. Eſt verò vel *ſimpliciter* talis, cui *omnis* corruptibilitas repugnat; Hæc *ſoli* Deo competit: vel talis *ſecundum quid*, cui tantum repugnat coruptibilitas *ab intra.* Sic *angeli* dicuntur *incorruptibiles.*

PROBLEMATA.

I. An doctrina de corruptibilitate & incorruptibilitate ſpectet ad Metaphyſicam?

Aff. Quidam putant, quod tantum ad *Phyſicam* ſpectet, quia *corruptio* eſt affectio *corporis mixti.* Verum *Phyſicus* tantum hanc doctrinam in conſideratione *contracta* reſtricta & particulari tractat, & docet ſaltem de corruptione *corporum*: *Corpus* autem non eſt *omne ens.* Ergo neceſſe eſt, ut alibi in natura *abſtracta*, & univerſali evolvatur, quod in alia *diſciplina* fieri non debet, quam in *Metaphyſica.* Simile habemus in *qualitate*: ea etiam à *Phyſico* dicitur affectio *corporis naturalis*, ſed in natura

contracta

contracta ſumpta. Quando enim objicitur: Quicquid præter corpus etiam *ſpiritui* competit, illud non poteſt eſſe *corporis* affectio ſ. *proprium.* Atqui *qualitas* præter corpus etiam *ſpiritui* competit, quia *angelus* habet *intellectum, voluntatem*, &c. quæ omnino *qualitates* ſunt. E. Reſpondetur, quod qualitas *abſtracte* & *abſolute* ſumpta non ſit affectio *corporis*, ſed *talis* ſcilicet, quæ *formam* ſequitur. *Abſtracta* conſideratio nec *Phyſicæ*, nec *Pneumaticæ*, nec *aliis* diſciplinis, ſed ſoli *Metaphyſicæ* convenit.

II. Utrum Adamus ante lapſum fuerit corruptibilis?

Non fuit corruptibilis *ab intra*, uti nos jam ſumus, ſed *ab extra*, quomodo omnis *creatura* corruptibilis, probatur *tum* ab exactiſſima & *abſolutiſſima* temperamenti *æqualitate, tum* exabſentia omnis *cauſæ*; quæ *ab intra* corruptionem potuiſſet inducere; *tum* etiam ex *conditione* creationis, qua Adam ita per *ſpiraculum vitæ* conſtitutus erat, ut *ſemper perduraſſet*, & *indiſſolubiliter* anima corpori unita eſſet, ſi non peccaſſet.

AXIOMATA.

I. Omne ens eſt vel *corruptibile* vel *incorruptibile.*

Quicquid enim *eſt*, vel *ita* eſt, ut *non poſſit* non eſſe, vel *ita*, ut *poſſit* non eſſe.

II. Omne *dependens* est *corruptibile*.

Deus enim, sicut omnia *creata* ex *nihilo* produxit, ita omnia *in nihilum* potest *redigere*. Omnis creatura habet potentiam *obedientialem*, qua Deo ita volente vel in *aliud* vel in *nihilum* transire potest.

III. Quod in *melius* mutatur, non *corrumpitur*, sed *perficitur*.

Corruptio praesupponit *mutabilitatem*: nihil enim *corrumpitur*, quamdiu in eodem *statu* manet. Mutatio verò fit in *melius*, vel *deterius*. *Hac* corruptionem: *ista* perfectionem infert.

CAPUT XII.

DE DEPENDENTIA & INDEPENDENTIA.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Dependentia est vel *objectiva*, vel *subjectiva*, vel *fundamentalis*, vel *effectiva*.

Objectiva est, quâ dependet aliquid à suo objecto, circa quod versatur. Sic *Physica* dependet

det à corpore *naturali*: visus à *luce* & colore: auditus à *sono*, &c. *Subjectiva est, qua adjunctum dependet à suo subjecto*, ut intellectus ab *anima*. *Fundamentalis s. relativa est, qua relationes dependent à suo fundamento proximo.* (Combachius dicit à termino) ut dominium à *potestate imperandi*: paternitas à *generatione*. His æquivocis posset addi dependentia *necessitatis, qua aliquid quocunque modo* (qui in reliquis non continetur) *alia re indiget ad suum fieri, esse, & operari.* Sic homo dependet ab *aëre*, quia absque eo vivere non potest. *Effectiva*, quæ propriè est hujus loci, *est, qua aliquid est ab alio per influxum causalem*, ut filius à *patre*, domus ab *architecto*, creatura à Deo.

Formalis ratio.

II. Dependentia est *præexigentia* alicujus, à quo aliquid *effectivè* suum *esse* habet.

Non quivis modus respiciendi *alterum*, tanquam *prius*, statim facit *dependentiam* propriè sic dictam, sed iste, quo aliquid respicit aliud, tanquam *causam*.

Ambiguitas.

III. Independentia etiam est quadruplex: *objectiva*, *subjectiva*, *fundamentalis* & *effectiva*.

Hi modi respondent quatuor modis dependentiæ

dentiæ in Th. 1. unde facilè explicari poſſunt. Independentia verò *effectiva* proprie eſt hujus loci.

Formalis ratio.

IV. Independentia eſt, qua aliquid *non præexigit* aliquod prius, à quo *effectivè* ſuum *eſſe* habeat.

§. 1. Reſtringitur iterum *formale* independentiæ ad *veram* cauſalitatem. Reliqui enim *modi* independentiæ (quod ſcil. omnia entia præter *relationes* ſint *independentia* ratione *fundamenti*, quod omnes ſubſtantiæ ſint *independentes* ratione *ſubjecti*, &c.) ſunt *improprii*.

§. 2. Independens ſolet etiam dividi in *ſimpliciter* tale & *ſecundum quid*. *Illud* deſcribunt, quod prorſus *omnem* reſpuat *cauſam*, ut *Deus*: *Hoc*, quod *cauſam* quidem admittat, ſed reſpectu alicujus *tertii*, à quo *eſſe* non accepit, rectè *independens* dici queat, quo ſenſu *angeli* independentes ſunt, quia ex *materia* non conſtant. Sed hæc independentia eſt *impropria*, aliàs totus *mundus* eſſet independens, quia non dependet à *Diabolo*. Si deſcribitur in reſpectu ad *ſubjectum* & *objectum*, æquivocationis arguitur ex Th. 3.

PROBLEMA.

An Filius Dei ſit dependens, quia eſt à patre genitus?

Neg. Quia non habet *eſſentiam numero diſtinctam*

stinctam à patris *essentia*. Pater enim per *æternam generationem* ipsi communicat suam *eandem numero essentiam*, quæ sane *independens* est. *Necessarium* autem requisitum *dependentiæ* est, ut id, *quod dependet*, habeat essentiam *numero* distinctam ab *alio*, *à quo dependet*. Obj. est tamen *Filius* Dei ab *alio*, scil. à *patre*. Ergò *dependet*. Resp. illud dependens est, quod est ab alio *effective*, quod de *Filio* Dei negatur.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *independens* vel *dependens*: vel *à se* vel *ab alio*.

II. Omne dependens habet *essentiam numero distinctam* ab *eo*, à *quo* dependet.

Dependentia est modus *essentiæ* (non ὑποστάσεως.) Nulla *essentia* verò à *se ipsa* potest *effective* oriri. Ubi una *numero* essentia est, ibi *dependentia* locum non invenit, quia *aliam* oportet esse essentiam, quæ dependet, & aliam, *à qua* dependet.

III. Nihil à *seipso*.

Sc. *Positive*. Quia nihil *in se* influere potest, ut *sibiipsi* det *essentiam*: *esset* enim, *antequam* esset. *Negative* verò Deus est *à seipso*, quatenus *non est* factus *ab alio*.

IV. Æqui-

IV. Æquipollentia fere sunt *independens, à se, increatum, infinitum:* item *dependens, ab alio, creatum, finitum.*

In *materiali* enim hi termini *conveniunt*, & se invicem declarant. Quia verò *distinctas* adhuc quoad *formale* habent *conceptibilitates*, ideò in distinctis quoque capitibus sunt enucleandi.

CAPUT XIII.

DE

CREATO & INCREATO.

Ambiguitas.

I. Creatio sumitur vel *proprie*, vel *improprie.*

Propriam significationem mox subjungemus. *Improprie* sumitur pro *declaratione* etiam. Sic dicuntur *creari* Magistratus, Doctores, Magistri, Poetæ, Notarii, &c.

Formale strictius.

II. Creatio est *productio* entis ex *nulla* vel certa *inhabili* materia, ab *infinita* virtute sine *concursu* vel *interventu* alterius agentis facta.

§. 1. Aliter describunt creationem *Theologi*,

gi, aliter *Philoſophi*. Theologi in definitione mentionem diſtinctam faciunt perſonarum *Sacro Sanctæ Trinitatis*. Quia verò myſterium *Trinitatis* nullo modo *ex natura*, ſed *ex ſola revelatione* conſtat, Philoſophi iſtius mentionem hic omittunt. Noſtra ergò definitio eſt Philoſophica, non theologica.

§. 2. *Per ens* h. l. non intelligimus ſolum *immateriale* & *incorruptibile*, cum Pererio, nec ſolam *ſubſtantiam* cum Scaligero & multis aliis, ſed *omne* in mundi primordiis à Deo *creatum* ens, ſive ſit *ſubſtantia*, ſive *accidens*. Non rejicimus quidem *diſtinctionem* inter *creatum* & *concreatum*, ſed h. L. non poteſt adhiberi, quia alias non eſſet *immediata* diſtinctio entis in *creatum* & *increatum*: qua propter hic *concreatum* (accidens ſc.) etiam ſub *creato* intelligendum venit.

§. 3. *Creata* ſunt entia *ex nulla vel certe inhabili materia*. Creatio enim diſtinguitur in *mediatam* & *immediatam*. *Immediata* eſt, qua ex *nihilo* ſ. ex *nulla materia* aliquid producitur, ut chaos. *Mediata*, qua ex *inhabili materia* aliquid producitur. Sic ex chao deinde reliqua ſunt producta.

§. 4. Requiritur ad creationem *infinita virtus*, Dei ſcilicet, qui ſolus eſt *creator*; Et ita quidem, ut omne agens, quod *concurrat vel interveniat*, removeatur. Alias enim homo, cum in ſe

producit virtutem ex nihilo, vel arcularius, cum facit mensam ex ligno natura inhabili, *creator* esset.

§. 5. Creationi secundum *formale* strictius descriptæ æquiparantur actiones *miraculosæ*, illæ scilicet, quibus vel ex *nulla* vel *inhabili* materia *aliquid* à Deo producitur: ut productio mannæ, productio pediculorum ex pulvere terræ.

Formale latius.

III. Creatio est *productio* entis, *quocunque* modo ab ente *increato* facta.

§. 1. Secundum *hoc formale* quivis Christianus ex 1. artic. Catechismi Lutheri dicit: Credo; quod Deus me *creavit* &c. Licet enim à parentibus *genitus* sit, nihilominus tamen ipsius *ortus* Deo asscribendus est, qui primis hominibus, quos secundum *prius formale* creavit, virtutem naturalem alios homines producendi concessit, & ad speciei humanæ propagationem (quæ quasi continuata creatio est) adhuc efficaciter concurrit. Huc pertinet quoque dictum Malach. 2. v. 10.

§. 2. Causa cur *formale duplex* ponamus, hæc est, quia alias darentur multa entia, quæ nec *creata* essent, nec *increata*, atque ita caderet assertio Metaphysicorum: Omne ens est vel *creatum* vel *increatum*. Equus qui jam nascitur,

tur, non certe est ex *nihilo* vel materia *inhabili* citra concursum alterius agentis à Deo productus, sed ex *semine* ad id à *natura* destinato, & quidem generantibus aliis equis utriusque sexus. Ideò terminus *creationis* ampliandus fuit, ut conveniat non tantum istis rebus omnibus, quæ cum primordiis mundi productæ sunt, sed illis etiam, quæ adhuc quotidie fiunt: Nam & hæ dicuntur creatæ.

§. 3. *Ne* verò quis putet, hanc acceptionem *latiorem* esse *impropriam*, dicimus, quod in *Metaphysica* sit *propria*, quia omne ens *proprie* dicitur vel *creatum* vel *increatum*: An in *Theologia* sit *propria*? Theologi judicabunt.

§. 4. Juxta hoc ergo formale *latius* affectio hæc *disjuncta* explicanda est, ut omne ens dicatur *creatum*, quod ab increato ente effective pendet: *Increatum*, quod secus.

IV. *Creatum* est, quod per *creationem* ab alio dependet, ut omnia *finita entia*.

V. *Increatum* est, quod *non* per *creationem* ab alio dependet. Hoc est solus DEUS.

Ne quis hic objiciat, quod ita *creatum* & *increatum* plane non differant à *dependente* & *independente*, sciendum est, quod in *creato* & *increato* semper respectus habeatur ad *primam creationem* ex *nihilo* factam; In ea enim fundatur omnis productio, quomodocunque fiat. Quando

do ergo e.g. equus, qui jam vivit, *creatus* dicitur, hoc vult *terminus*, quod ejus *species* cum *primordiis* mundi à Deo per *creationem* originem ceperit, & ejus *individuum* per *concursum* Dei cum causis *secundis* productum sit. Per hanc ergo *peculiarem conceptibilitatem* distinguitur *creatum* à *dependente*.

PROBLEMATA.

An creatio ex lumine naturæ possit cognosci?

Dist. Inter creationem *latè* sumptam, pro *productione* rerum omnium *quocunque* modo, *quocunque* tempore ab aliquo *improducto* s. *increato* facta: & inter creationem *strictè* acceptam, pro *tali* productione, qua intra sex dies (hoc die illud, alio die aliud) primum materia *inhabilis*, & ex ista reliqua entia sunt producta. *Creatio posteriori* modo sumpta ex solâ *revelatione* cognosci potest: Et huc spectat, quod Hebr. XI. 3. dicitur: *fide intelligimus, constructa esse secula verbo Dei.* Sed creatio *priori* modo sumpta etiam ex ipsa *natura* indagari potest. Ex rebus *productis* enim colligit nostra *ratio* aliquod *improductum*, quia alias progressus fieret in infinitum.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *creatum* vel *increatum*. Opponuntur sibi invicem *contradictorie*.

II. Omne

II. Omne *creatum* est ab *increato*.

Nihil est à *seipso*, sed quicquid est, ab *alio* est: *Hoc* si iterum ab *alio*, & sic consequenter, donec deveniamus ad aliquod, quod non sit *creatum*.

CAPUT X.

DE

FINITO & INFINITO.

Ambiguitas:

I. *Finitum* opponitur vel *fini*, vel *inchoato*, vel *infinito*.

Cum *fini opponitur*, est *causatum* finis, sicut *effectus* est *causatum* efficientis & *materiatum* est causatum materiæ. Cum *inchoato* opponitur significat aliquid ad *finem* perductum. Quando vero *infinito* opponitur, *terminos* rei addit, quibus *infinitum* destitutum est, In hac oppositione consideratur vel secundum rei *quantitatem*; cum res quantæ *finiuntur* suis *terminis*, ut arbor suis extremitatibus: vel secundum ipsam rei *essentiam*, cum res habet *fines* essentiæ; ita h.l. sumitur.

Formale

Formale.

II. *Finitum* est, quod habet *terminos* essentiæ.

Quod scil. aliquando *incepit* vel *incipit* esse, & aliquando *desinit* esse, vel saltem desinere *potest*. Sic omnis *creatura* est ens *finitum*, tum quia aliquando à *non esse* ad *esse* traducta est, tum etiam, quia aliquando vel de *facto* non est, vel ad minimum non esse *potest*. Angeli & animæ nostræ nunquam *habebunt* finem, *possunt* tamen eum habere, si scil. Deus velit.

Ambiguitas.

III. Infinitum vel est in *se* tale, vel respectu *nostri* tantum.

Quod *in se* infinitum est, propriè huc pertinet: non id, quod tantum respectu *nostri*, quomodo stellarum, arenæ, specierum, individuorum numerus *infinitus* est, quia à nullo homine potest exacte sciri.

IV. Infinitum est vel *actu* vel *potentia*. *Illud* omni *caret* termino, ut Deus. *Hic habet* quidem terminos, semper tamen *augeri* vel *minui* potest secundum Aristotelem: Hoc *impropriè* vocatur *infinitum*.

Formali.

V. *Infinitum* est, cui *repugnat* habere *terminos* essentiæ.

Hoc est solus Deus.

Quidam

Quidam ita: quod *caret* terminis essentiæ. Sed ita adhuc in dubio manet, anne *possit* habere terminos, quod quia etiam negatur, penetrantius formale sistitur per *repugnantiam* habendi terminos.

PROBLEMATA.

I. *An plura possint esse infinita?*

Neg. *Unum* enim ultimate distingueretur ab *altero*. Illud, per quod distingueretur, esset *infinita* perfectio. Hæc non esset in *altero* quia alias ab eo *non* differret. In omnibus itaque aliquid *infiniti* abesset, & sic nullum esset *infinitum*.

II. *An produci possit infinitum?*

Neg. Nam si posset, vel à *seipso*, vel ab *alio* à non esse ad esse traduceretur. Non *à se* ipso, quia esset, antequam esset, quod absurdum. Neque *ab alio*; illud enim eo ipso, dum produceret, *finiret* ejus essentiam, quia per productionem *inciperet* esse: & sic *non* esset *infinitum*.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *finitum* vel *infinitum*. Medium non datur.

II. Finitum in *essentia* est finitum in omnibus *attributis*.

Habet

Habet enim terminos in *potentia* & *operatione*, ut non sit *omnipotens*: in *cognitione*, ut non *omnia sciat*: in *duratione*, ut non sit *æternum*: in *adessentia*, ut non sit *ubique*, &c.

III. Infinitum in *essentia* est infinitum in omnibus *attributis*.

Est enim infinitæ *potentiæ*, infin. *scientiæ*, infin. *durationis*, infin. *ubietatis* &c.

IV. *Finiti* ad *infinitum* nulla est *proportio*.

Valet proprie de *quantis* (quæ hos terminos juxta primam impositionem sibi vendicant) & *proportione Mathematica*. Si ad omne ens applicatur, ita limitanda: *finiti ad infinitum nulla est exacta proportio*: Est tamen proportio *unionis*, *convenientiæ*, *analogici* conceptus.

V. *Finitum* non est capax *infiniti*.

Scil. Ut infinitum *comprehendat* & localiter *includat*: vel ut infinita *attributa* finito, tanquam *proprio* subjecto, inhæreant.

CAPUT

CAPUT XV.

DE *PRINCIPIO, & PRINCIPIATO.*

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Principium est vel *complexum*, vel *incomplexum*.

Complexum est integra *enunciatio*, ex qua tanquam *notiori* dependent *conclusiones*. Hoc principium non proprie spectat ad *affectiones* entis, quia *affectiones* competunt enti, sub ratione conceptus *incomplexi*; sed ad habitum *intelligentiæ*, qualem Gutkius conscripsit. *Incomplexum* est, unde aliquid *est*, vel *cognoscitur*. Hoc est hujus loci.

Formale.

II. *Principium* est, unde aliquid *procedit* quocunque modo.

§. 1. Variæ sunt definitiones *principii*. Nos hanc eligimus. Ut vero recte intelligatur, notandum est, quod vox *unde* notet hic quemcumque respectum unius ad alterum, secundum quem aliquid ad alterum verè *consequitur*,

tur, sive fiat per influxum *causalem*, sive alio modo.

§. 2. Vox *Aliquid* hic non est tamen *stricte* accipienda, quasi illud, quod à principio *procedit*, semper *peculiarem* ab eo essentiam habeat, sed in ea *generalitate* est intelligenda, ut cuivis modo veræ *consecutionis* ad alterum possit applicari.

§. 3. Vox *processionis* hic non accipitur in significatione *Theologica*, qua *generationi* contradistinguitur, quomodo de Filio Dei negatur, quod à patre *procedat*: Sed notat hic usu *Philosophico* qualemcunque modum *consecutionis* unius ad alterum.

§. 4. *Requisita* principii sunt vel *spuria* vel *genuina*. *Spuria* sunt, quod 1. principium debeat *essentialiter* à principiato *distinctum* esse. 2. quod *realiter* debeat ab eo *differre*. 3. quod debeat esse *prius tempore*. 4. Quod per *causalem* influxum debeat cum *principiato* connecti &c. Talia vocamus *spuria* requisita, non quod plane non dentur *principia* ita se ad *principiatum* habentia, sed quia non conveniunt *omni principio*, quapropter in hac doctrina de *principio* in *genere* non inveniunt locum.

§. 5. *Genuina* principii *requisita* sunt I. *Respectus* ad illud, cujus est *principium*. II. *Prioritas*. Necesse enim est, ut *principium* sit aliqua ratione *prius principiato*, ita tamen, ut intelligatur

prioritas

prioritas indifferenter ad *omnia* genera *prioritatis*, quæ in particulari pro varietate principiorum varia est. Aliud enim prius est *durationc*, quarenus *illius* existentia *hujus* existentiam *antecedit*, ut *vapor* nivem, *artifex* opus, *arbor* pomum. Hoc *genus* prioritatis aliâs vocatur prioritas *temporis*. Quia verò applicatur etiam istis, quæ *non* sunt in *tempore*, ut cum Deus dicendus est *tempore* prior mundo, rectius substituitur generalis terminus *duraticnis*. Aliud prius est *naturâ*, quod (sive quoad *durationem posterius* sit, sive *simul*) in *naturali* essendi *ordine antecedit* alterum, ita ut, si *hoc* non detur, nec *alterum* detur; quomodo *causa* est prior *effectu*; Causa *prima* prior *secunda* (si enim illa non *concurreret*, hæc non *causaret*,) *Subjectum* prius *adjuncto*. *Ens* prius *affectionibus* suis. *Universale* prius *inferioribus* (animal prius homine; si enim animal non esset, nec homo esset.) Aliud est prius *enumeratione* & *ordine*, quod *prius numeratur* vel propter rei *fundamentum*, (quomodo *Pater* est *prima* persona *Trinitatis*, vel propter hominum *arbitrium*,) quomodo in numeranda hominum copia vel *hunc* vel *istum* pro arbitrio facimus *primum*; Aliud prius est *dignitate*, quod est *nobilius* & *præstantius*, ut aurum plumbo, eruditio divitiis, dux militibus præstat; Aliud *loco*, cujus locus antecedit locum alteris; Aliud *cognitione*, quod *notius* vel

facilius est, vel secundum concipiendi modum imbecillioris nostri intellectus *prius apprehenditur*. *III. Consecutio* s. connexio. Non statim *principium* alterius est, quod *prius* est eo quocunque modo, sed oportet intercedere *consecutionem*, qua id, quod *principiatum* dicitur, verè à *principio* procedat. Falluntur ergo, qui putant, quod *formalis* ratio *principii* tantum consistat in respectu *prioritatis* ad posterius.

Divisio.

III. Principium est vel *essendi*, vel *cognoscendi*.

IV. Principium *essendi* est, quod dat *esse* alteri.

Principium *essendi* hic non sumitur *specialiter*, quatenus principio *fiendi* & *conservandi* opponitur, quomodo *essendi* principia sunt, ex quibus aliquid *intrinsece* constat: *fiendi*, à quibus aliquid *fit* & *producitur*, *conservandi*, à quibus aliquid in esse *conservatur*; Sed *generaliter* id dicitur hic principium essendi, *quod dat esse alteri* sive τὸ esse dee originem, per *generationem*, *creationem* vel *alio* modo, sive *intrinsece* illud *constituat*, sive *conservet*. Sic hominis *principia essendi* sunt Deus, Sol, parentes, materia & forma, alimentum &c.

V. Principium essendi est vel *causale* vel *non causale*.

VI. Causale

VI. Causale est *origo* alterius per *causalem* influxum.

Tale principium est architectus in respectu ad ædificium.

VII. Non causale est *origo* alterius *citra* causalem influxum.

Tale principium in *divinis* est *Pater* generans *Filium* ab æterno. Sic *unum* Dei *attributum* est principium *alterius*, quod exinde *demonstratur*. Sic *ens* est principium *affectionum* suarum, & *una* entis affectio principium *alterius*, quæ inde fluit.

VIII. Principium *cognoscendi* est quod dat *cognitionem* alterius.

Sic ex structura mundi invisibilem creatorem Rom. I. 20. ex fumo ignem, ex loquela hominem, ex bono artifice bonum opus cognoscimus.

IX. Estque vel *complexum* vel *incomplexum*.

X. *Complexum* est *axioma* seu *canon*.

§. 1. Hoc quidem *proprie* est principium in *suo* loco, sc. in *intelligentia*; *improprie* verò huc spectat, quia; sicut *ens* ipsum, ita & *affectio* entis quam principium refert,) in contemplatione *Metaphysica* debent esse aliquod *incomplexum*. Hic ergo ejus fit mentio tantum propter distinctionem.

§. 2. Principia cognoscendi *complexa* sunt vel *prima*, quorum veritas tam *manifesta* est, ut quivis, qui *terminos* intelligit, iis *assensum* præbeat, & ita non opus sit *demonstratione*, ut *impossibile est simul esse & non esse*: *Totum est majus sua parte* &c. De his principiis *primis* agit *intelligentia*; vel *secunda*, quæ ex *primis* fluunt, & ex iis *probari* possunt, ut, *omne materiatum est quantum*; *omne malum est in bono* &c.

§. 2. De omnibus verò principiis *complexis* seu *axiomatibus* notandum est, quod quidem rationem *regulæ* & *normæ* habeant, sed tum demum, quando *recte* intelliguntur & *legitime* applicantur.

XI. *Incomplexum* principium cognoscendi est *aliquod simplex*, quod in alterius cognitionem nos deducit.

§. 1. Vox *aliquod* hic non præcise *aliquod ens* denotat, sed *latius* sumenda est, quia *modi entis* etiam interdum sunt *principia cognoscendi*.

§. 2. Quidam statuunt, quod principia *cognoscendi* tantum sint *axiomata*. Verum hæc sententia fallit; nam 1. ex *causa* sæpe cognoscimus *effectum*. Scimus, quod *pomus* non *pyra*, sed *poma* tulerit, licet poma non viderimus. 2. Ex *effectu* cognoscimus *causam*: ex *operationibus* animæ *animam*, ex *occisione* vim *veneni*. 3. Ex ratione *essendi* consequentia essentiam

affectiones

affectiones scilicet; ut, si *ens* est, *unum verum* & *bonum* est: si *homo* est, *risibilis* est. 4. Ex *affectione* ens ipsum; ut, quod *bonum* est, illud *ens* est: quod *latrare* potest, illud *canis* est. 5. Ex *forma* s. *formali ratione*, quale sit *formatum*; ut, quod est *extensum*, illud est *quantum*: quod est *indivisum*, illud est *unum*.

XII. Principiatum est, quod ab *alio* procedit *quocunque* modo.

Sive ab eo *creetur*, ut mundus à Deo: sive *generetur*, ut liberi à suis parentibus: sive per *artem* efficiatur, ut calceus à sutore: sive ab eo *emanet*, ut affectiones ab ente, propria à subjectis: sive ex eo *cognoscatur*, uti ex sermone in tenebris homo.

PROBLEMATA.

I. An omnis prioritas consistat in relatione reali?

Neg. *Realis* hic *intellectuali* opponitur & volvitur inter terminos *realiter distinctos*, præter *mentis* operationem. At prioritas debito modo *abstracta* non tam *arcte* constringi potest; Nam *genus* est prius *specie*, quamvis non *realiter* ab ea differat. Ergo collocanda est prioritas in *indifferentia* ad *realem* & *intellectualem* relationem.

II. An

II. An principium cognoscendi semper sit axioma vel regula?

Neg Quia etiam ex *simplici* aliquid *cognoscimus*, ex causa effectum, ex effectu causam &c. vide Th. XI. § 2. Quando ergo interdum Philosophos per principium complexum in genere principium cognoscendi intelligere deprehendimus, per *synecdochen* istud fieri sciamus.

III. Num propterea cadat oppositio inter principium essendi, & cognoscendi, quod essendi pr. interdum simul sit pr. cognoscendi?

Neg. Sæpe quidem fit, ut ex *causa*, quæ principium essendi est, demonstretur & cognoscatur *effectus*. Verum ad species oppositas sufficit, si *formaliter* opponantur sibi, licet *materialiter* se invicem contineant. Licet una eademque anima rationalis sit *pr. essendi* hominis, & simul faciat ad *cognitionem* ipsius docilitatis, tamen, *quatenus* largitur *cognitionem*, non est principium *essendi*, & *quatenus* homini dat *esse*, non est *pr. cognoscendi*. Diversus ergo respectus salvat oppositionem.

VI. Utrum quædam principia cognoscendi nobiscum nascantur?

Aff. *Nascuntur* nobiscum tam *theoretica*, quam *practica* principia, *prima* tamen, non *secunda*. *Theoretica* sunt e.g *Impossibile est, idem simul*

simul esse & non esse: Totum est majus sua parte: Deus est &c. *Practica: Deus est colendus: Honestè vivendum est: Quod tibi non vis fieri, alterine feceris.* Hæc omnia quivis à *natura* scit.

V. Num in divinis Pater sit principium Filii?

Aff. Pater enim Filio per *æternam* generationem suam eandem *numero* essentiam *communicavit.* Dextrè verò *abstrahendus* & *ampliandus* hic est terminus *principii*, ut ab omni influxu *causali, dependentia*, prioritate *durationis, naturæ* & *dignitatis*, adeoque omni *imperfectione* liberetur, & nudè significet ordinem *originis* & *naturalis* enumerationis (ut vocant.)

VI. Utrum ideo Filius sit principiatum Patris?

Resp. Est nonnemo inter accuratiores, qui non obscurè innuit affirmativam, quia forsan nullum periculum subesse videt, si terminus ab omni imperfectione liberetur, & secundum defin. Th. XII. traditam examinetur. Verum, quia orthodoxa antiquitas ab hac phrasi abstinuit, (proculdubio, quia terminus principiati arctiùs imperfectionibus, à quibus liberandus, implicatus est) nos etiam, qui cum Ecclesia *sentimus*, cum Ecclesia *loquimur*, & *Filium* cum ea potius dicimus *principium* à *principio*.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *principium* vel *principiatum.*

II. Principium *prius* est principiato.

Non *determinata* prioritas, (vel *temporis* vel *naturæ* &c.)hic intelligatur, sed *indifferens* ad omnes speciales *prioritates.* Ita principium, *quatenus principium & uno eodemque modo & respectu* cum *principiato sumptum*, semper eo *prius* est.

II. Principium *cognoscendi* debet esse *animadversum*, non *visum*.

Noster enim intellectus non est *mensura* rerum.

III. *Principium* latius patet, quam *causa.*

Omnis quidem *causa* est principium: non verò omne *principium* est causa: Aurora est principium diei, non causa.

IV. Mutato *principio*, mutantur ea, quæ ex principiis *pendent*:

Si *falsum* pr. mutatur in *verum*, cadunt per se omnia inconvenientia, ex *falso* orta: Si *verum* in *falsum* mutatur, parvus error in *initio* magnus fit in *fine.*

VI. Contra negantem *principia* non est disputandum.

Intelligitur

Intelligitur de principiis *cognoſcendi complexis.*

Scilicet 1. *ſi ſint principia:* Sæpe enim *pro principio* venditatur, quod non eſt *principium.*

2. Si ſint *prima:* nam *ſecunda* in reſpectu ad *prima* ſunt *concluſiones*, quæ omnino objectum diſputationis ſunt, quatenus ſunt dubitabilia. Sint verò *genuina prima* principia, quæ *veriſſima* ſunt & *notiſſima*; non *ficta* & *ſuppoſititia.*

3. Si *in ſenſus* incurrant & *experientiâ* omnibus numeris abſolutâ conſtent: Nam ſæpe aliquis, non quod *videt*, ſed quod *vult* videre, ſe videre *putat*; Sæpe etiam experientiæ *titulo* gloriatur, quod nondum ſecundum omnia requiſita examinatum eſt, & per *contrariam* experientiam eluditur.

Qui *talia* principia negat, contra *eum* non eſt *diſputandum à priori*, ſed convincendus eſt ex *conceſſis*, quæcunque ea ſint.

CAPUT XVI.

DE

CAUSA & CAUSATO.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. *Causa* aliter sumitur apud JCtos, aliter apud *Rhetores*, aliter apud *Metaphysicos*.

JCti causam dicunt illud, circa quod *occupantur* in *officio*. Germ. *Rechtssache*. *Rhetores* themata causas dicunt, dum certa *genera* Causarum constituunt. *Metaphysici* sumunt hunc terminum vel *nimis late*, pro *principio* in genere, quam significationem intendunt Græci Patres, dum Patrem in SS. Trin. Filii causam dicunt; vel *nimis stricte*, pro sola causa *efficiente*, quæ κατ' ἐξοχὴν causa est, ut in illa regula: qualis *causa*, talis *effectus*; vel *adæquatè*, pro eo, quod largitur *causalem influxum*. Ita h. l. sumitur.

II. Causa est vel *vere* sic dicta, vel *sine qua non*.

Causa vere sic dicta est, quæ per *veram* causalitatem influit in *esse* causati. *Causa sine qua non* est, quæ non exercet *causalitatem*, sed est tantum

tantum *conditio*, sine qua effectus fieri non potest. e. g. Surrectio hominis non est *causa* ambulationis, & tamen ambulatio fieri non potest, nisi primum de sedili surgat: Rectius dicitur *Conditio sine qua non.*

Formalis ratio.

III. Causa est principium *influens* in *esse* causati.

§. 1. Principium est quasi *genus* in hac descriptione, quia *latius* est, & quia quævis *causa* etiam est *origo* processionis alterius, quod *formale* est principii.

§. 2. Influere ad esse *causati* hic non accipitur pro *sola* actione *efficientis*; sed pro omni eo, quod *unaquæque* causa in suo *genere* ad esse *causati* confert, tam ratione *externæ* productionis, quam *internæ* constitutionis.

Divisio.

Ordinaria est, quæ *ordine* in natura *consueto* suam exercet *causalitatem*. Sic per *ordinariam* causam aqua fluit.

Extraordinaria est, quæ non servat *usitatum* naturæ *ordinem*, sed influit *præter* vel *supra* naturam. Sic per causam *extraordinariam* aqua instar muri stat erecta. *Exod* 14.

V. Causa

V. Cauſa eſt vel *univerſalis* vel *particularis*: Et illa vel *abſolute* univerſalis vel *ſecundum quid*;

Univerſalis eſt, quæ ad *certum* cauſatum non eſt *determinata*. Eſtque vel *abſolute Univerſalis*, ultra quam non datur *alia* in eo *genere*. Sic efficiens *abſolute* univerſalis eſt *Deus*: finis *abſolute* univerſalis *gloria* Dei. *Secundum quid* univerſalis eſt, quæ quidem *non* eſt *determinata*, *ſuperiorem* tamen adhuc agnoſcit. *Talis efficiens* ſunt corpora cœleſtia: *finis*, homo. *Particularis* eſt, quæ ad *certum* cauſatum *determinata* eſt.

VI. Cauſa eſt vel *remota* vel *proxima*.

Remota, quæ influit *aliis* cauſis *intervenientibus*; ſic hominis *materia* conſtitutionis *remota* ſunt 4. *elementa*: *materia* productionis, *ſanguis* parentum: *proxima*, quæ *immediate* influit in *cauſatum*; ſic hominis mat. *prox.* conſtit. eſt *corpus organicum*: product. *ſemen*. Eſtque vel *ſimpliciter* proxima, vel *ſecundum quid*.

VII. Cauſa eſt vel *prima* vel *ſecunda*.

Prima eſt, quæ non habet *priorem*, vel *ſimpliciter*, vel *ſecundum quid*. Sic materia *elementorum* eſt materia *prima*, juxta Dn. Scharffium Met. Ex. L. II. c. 7. *Secunda*, quæ habet *priorem*, ut materia *hominis*.

VIII. Cauſa

VIII. Causa est vel *adæquata* vel *inadæquata*. *Adæquata* est, quæ *reciprocari* potest cum *causato*, ita ut *causa* positâ ponatur quoque *causatum*, & posito *causato* ponatur *causa*. Sic *materia* est causa adæquata *quantitatis*, posita *materia* ponitur *quantitas*: Sic anima *leonina* leonis, posita enim anima *hac* ponitur *leo*, & posito *leone* ponitur *ejus* anima. *Inadæquata* est, quæ *non reciprocari* potest cum suo *causato*, & qua *posita* non necessario ponitur *causatum*. Sic posito *architecto* non statim ponitur *domus*. Posito *corpore organico* non statim ponitur *homo*: positis *libris* non statim ponitur *eruditus*, quapropter talia sunt causæ *inadequatæ*.

IX. Causa est vel *interna*, quæ essentiam causati *ingreditur*; & est duplex: *Materia* & *Forma*: vel *externa*, quæ ita influit, ut causati essentiam *non ingrediatur*; estque duplex: *Efficiens* & *Finis*.

Internum & *externum* hic non sumuntur ratione *subjecti* tantum, quomodo etiam *accidentia* quædam sunt *interna*, ut calor in igne, sed plane ratione *essentiæ*, ut est in *definitionibus*. Hæc de causa in *genere*: nunc ordine de ejus quasi *speciebus* agemus.

DE

DE EFFICIENTE.

Formale.

X. Efficiens est causa externa, *à qua* res est per *veram actionem.*

§. 1. Causalitas *efficientis*, per quam ultimato concipitur, est *vera actio*, sive sit *transiens* sive *immanens*; sive *instantanea* sive *successiva*; sive *realis* sive *intentionalis*; sive per *transmutationem* sive per *emanationem.*

§. 2. Characteristica efficientis nota est particula *A* vel *AB*. Haec licet interdum usurpetur ad *quemcunque* respectum unius ad alterum denotandum, in *nobiliori* tamen significatione causam *efficientem* significat.

Distinct. nominales.

XI. Efficiens est 1. vel *privativa* vel *positiva.* 2. vel *physica*, vel *moralis.*

Quidam huc referunt quoque distinctionem efficientis in *veram* & sine *qua non*, sed ea spectat ad causam in genere. *Privativam* dicunt esse *defectum*, cui aliquid, tanquam *causae*, ascribitur; ut, quando defectus in pedibus *claudicationis* causa dicitur (qui tamen *verum* influxum non largitur) *Positiva* Th. X. definita est. *Physica* (alias realis) itidem eadem Th. X. definitur.

definitur. *Moralis* (alias *dispositiva*, *imputativa*, *excitativa*, *consilians*) est, quæ quidem *vere* in effectum non influit, & tamen *causam* ad *operandum* movet *precibus*, *consilio*, *monendo*, *non impediendo*, *imperio*, *vocatione*, *instinctu*, *applicatione* & aliis modis. Sic *ignis* est causa *combustionis* domus *physica*: incendiarius est *moralis* causa.

Divisiones.

XII. Efficiens alia 1. est *principalis*, alia *instrumentalis*.

Principalis est, quæ instrumentalem *dirigit*, ita ut hac *non agente* instrumentalis causa *nihil producat*; ut faber respectu operis.

Instrumentalis est, quæ *propria* causalitate *principali* ad actionem *inservit*, & ab ea *dirigitur*; ut malleus.

XIII. 2. Alia est *primaria*, alia *secundaria*.

Primaria est, à qua tanquam prædominante *primariò* dependet *effectus*. *Secundaria* (quæ etiam *adjuvans* & *minus principalis* vocari solet) est, quæ primariæ *cooperatur*, sed ita, ut ab ea *secundario* dependeat effectus, *NB.* Hæc distinctio cum priori non coincidit, sed in ipsis *principalibus* agentibus alia est *primaria*, alia *secundaria*. Sic e.g. multi helciarii adverso amne sune ductorio (instr.) navem trahunt, sed *primus* est agens *primarium*, reliqui *secundaria*.

XIV.

XIV. 3. Alia *prima*, alia *secunda*.

Prima est, à qua *primo* oritur *influxus* ad esse effectus: Estque *vel suprema*, quando à causa *descendimus* ad effecta, quæ virtutem *independentem* habet; quomodo *Deus* semper est *prima* causa: vel *proxima*, quando ab effectu ad causas *ascendimus*. Sic *parentes* sunt prima causa *filii*. Hoc duplici modo posset etiam *secunda* dici, & in genere describi *talis*, quæ supponat influxum *præcedentis*, sed in usu tantum est acceptio juxta primum modum, unde definitur *talis*, quæ subordinatur *superiori*, & in causando ab ea *dependet*; ut omnis *creatura* à Deo.

XV. 4. Alia *per se*, alia *per accidens*.

Efficiens per se est, quæ in istud influit, ad quod influxus *naturâ suâ* ordinatur. Sic præceptor informans puerum in latina lingua, ejus cognitionis causa per se est. *Eff. per accidens* est, quæ in istud influit, ad quod influxus *sua natura* non ordinatur; ut si puella simul discat latinam linguam, præc. ejus cognitionis causa per acc. est.

XVI. 5. Alia *naturalis*, alia *voluntaria*.

Naturalis est, quæ solo *instinctu naturæ* sine *deliberatione* agit; ut stellæ, elementa, bruta, &c. *Voluntaria* est, quæ *libere* & cum *deliberatione* agit. NB. *Eadem* res *diverso* respectu

est

eſt *voluntaria* & *naturalis* cauſa. E. g. Noſtra anima reſpectu *virtutum* eſt *volunt:* reſpectu *augmentationis* eſt *nat.* cauſa.

XVII. 6. Alia per *tranſmutationem*, alia per *emanationem*.

Eff. per tranſmut. eſt, quæ cum *conatu* agit; ut cum homo generat hominem. *Per emanationem*, quæ *per naturalem reſultantiam* citra conatum agit. Sic anima producit intellectum, vol. riſib &c.

XVIII. 7. Alia *ſolitaria*, alia *ſocia*.

Solitaria eſt, quæ *ſine concurſu* alterius ſimilis influit; ut planta, cum generat. *Socia* eſt, quæ *concurſum* ſimilis & quidem *coordinatæ* cauſæ requirit, ut mas vel fœmina in generatione.

XIX. 8. Alia *univoca*, alia *æquivoca*.

Univoca eſt *ejuſdem* eſſentiæ cum *effectu*; ut cum leo gignit leonem. *Æquivoca* habet eſſentiam ab effectu *diverſam*; ut cum homo facit calceum, Deus mundum.

XV. 9. Alia *procreans*, alia *conſervans*.

Procreans eſt, quæ rem facit *eſſe*. *Conſervans*, quæ rem facit *porro* eſſe. Sic Deus eſt cauſa mundi procreans & conſervans.

XXI. 10. Alia *externa*, alia *interna*.

Externa (in reſpectu ad *ſubjectum*) eſt, quæ agit

agit per actionem *transeuntem*, & effectum *extra se* ponit; ut Sutor, cum calceum fabricat. *Interna* quæ agit per actionem *immanentem*, & effectum *in se* recipit; ut cum anima est causa intellectionis.

DE FINE.

Formale.

XXII. Finis est causa externa, *propter quam* agit efficiens.

§. 1. Finis hic non sumitur pro *termino*, quomodo mors dicitur finis; sed *pro causa finali*.

§. 2. Characteristica nota *finis* est *Propter* vel *cujus gratia*, si *specialiter* accipitur; nam *generaliter* omni causæ tribuitur.

Divisio.

XXIII. 1. Finis est vel *principalis* vel *minus principalis* s. *secundarius*.

Principalis est, qui *primario* ab agente intenditur. *Minus principalis*, qui *secundario*. Sic finis conjugii *principalis* est procreatio sobolis: *minus princ.* mutuum adjutorium.

XXIV. 2. Vel *ultimus* vel *intermedius*.

Ultimus est, qui ad nullum *alium* finem *ordinatur*;

dinatur; idque vel *simpliciter*, ut sola *gloria* Dei: vel in *suo genere*, quomodo summum bonum in *Ethicis* dicitur *ultimus* finis. *Intermedius* est, qui ad *alium* superiorem finem *ordinatur*, ut virtus. *Hic* sub se *proximum* finem comprehendit. Ex hac divisione fines dicuntur *subordinati*.

Distinctiones Nominales.

XXV. 1. Finis est vel *cui* vel *cujus*.

Finis cui est ipsum *subjectum*, cui finis *cujus* acquiritur; ut homo, cui domus ædificatur. *Finis cujus* est, cujus *acquirendi* gratia efficiens agit; ut domus. De hoc pleraque distinctiones finis intelliguntur.

XXVI. 2. Vel *objectivus* vel *formalis*.

Objectivus (alias finis *qui*) est *objectum* illud, ad *quod* tendit efficiens; ut liberi (resp. conjugii.) *Formalis* (alias finis *quo*) est ipsa objecti *acquisitio* seu *habitio*; ut generatio liberorum.

XXVII. 3. Vel *efficiendus* vel *obtinendus*.

Efficiendus s. *producendus* est, qui *nondum* existit, sed per *actionem* efficientis *producitur*; ut annulus (fabricandus.) *Obtinendus* est, qui jam *ante* existit, & ad quem efficiens tantum tendit, ut obtineatur, ut aurum.

XXVIII.

XXVIII. 4. Disciplinarum *practicarum* finis est vel *internus* vel *externus*.

Internus est de disciplinæ *essentia*, ita ut ex eo *excidere* non possit. *Externus* est *extra* disciplinæ *constitutionem*, ita ut eo sæpe *excidat*. Sic Logicæ finis *internus* (principalis) est syllogismus, *externus* veritas.

De FORMA.

Formale.

XXIX. Forma est causa interna, *per quam* res *materialis* est id, quod est.

Characteristica ejus nota est particula *per*, quæ in significatione *famosiori* formæ appropriatur, licet aliquando etiam effic. *principali* & *instrumentali* tribuatur. Restringimus autem *formam* ad res *materiales*, quia, quod non *proprie* habet *materiam*, illud nec *proprie* habet *formam*.

Distinct. nominales.

XXX. 1. Forma est vel *informans* vel *assistens*.

Informans th. 29. definitur. *Assistens* est, quæ *operationes* rei dirigit, ipsam verò *essentiam* ejus non ingreditur, ut nauclerus respectu navis.

XXXI.

XXXI. 2. Vel *Metaphysica* vel *Physica.*

Metaphysica est ipsa rei *essentia*, ut humanitas: *Physica* est altera *pars* compositi, ut anima rationalis.

XXXII. 3. Vel *totius*, vel *partis.*

Forma totius est forma *totius compositi*, ut forma animalis. Forma *partis* est, quæ *alicui parti* in toto competit, ut forma terræ in animali. Alio in sensu forma *totius* est *Metaphysica*, forma *partis*, *Physica.*

XXXIII. 4. Vel *essentialis* vel *accidentalis.*

Essentialis est, quæ rem in *esse constituit*: *Accidentalis*, quæ non pertinet ad *constitutionem* rei, sed *accidentaliter* rem *denominat*; ut virtus in homine.

XXXIV. 5. Vel *generica*, vel *specifica*, vel *numerica.*

Generica dat esse *genericum*, ut forma *animati* in homine. *Specifica* dat esse *specificum*, ut anima *rationalis* in homine. *Numerica* dat esse *singulare*, ut *hæc* anima Johannis.

Divisio.

XXXV. Forma est *materialis* vel *immaterialis.*

Materialis est, quæ *extra materiam* existere *non* potest; ut omnes formæ, excepta humana. *Immaterialis* est, quæ *extra materiam* existere potest, ut anima rationalis.

De

DE MATERIA.

Formale.

XXXVI. Materia est causa interna, *ex qua* aliquid *constituitur*, ita ut hæc ei *insit* & actum *formalem* recipiat.

§. 1. Non sumitur hic materia pro *subjecto* quod *materia in qua* dici solet; quomodo *charta* est materia *albedinis*: Nec pro *objecto*, quod alias etiam dicitur materia *circa quam*, quomodo *sonus* est materia *auditus*; sed pro *causa interna* rem per modum *potentiæ passivæ* intrinsece *constituente*, quæ alias materia *ex qua* vocari solet.

§. 2 Characteristica materiæ nota ergo est *E* vel *EX*. Licet enim nonnunquam causam *formalem* & *efficientem*, item principium *non causale* significet, in significatu tamen *stricti ri* materiæ, a Philosophis appropriatur.

Divisio.

XXXVII. Materia est vel *permanens* vel *transiens*.

Transiens est, quæ ita inest *composito*, ut antea ex *suo esse transierit* in *aliud* esse; ut *cista* respectu *Evæ*, ovum respectu pulli. *Permanens* est, quæ *non transiit* in *aliud* esse, sed secundum eandem

eandem rationem *manet* in composito; ut *stannum* respectu *canthari*.

DE CAUSATO.

XXXVIII. Causatum est *principiatum*, quod à *causis* suum *esse* habet.

Hactenus egimus de *causis* in *genere* & in *specie*. Causæ verò contradistinguitur *causatum*, quod, prout ab *efficiente*, *fine*, *forma* vel *materia* dependet, est *effectum*, *finitum*, *formatum*, vel *materiatum*.

PROBLEMATA.

I. An in Metaphysica de causis sit agendum, ut causis objecti?

Neg. Quia ita Metaphysica non esset *universalis* disciplina; ageret enim de ente *causato* tantum, non de omni ente, quia ens causans etiam est ens.

II. An efficiens per accidens sit vera causa?

Aff. Quia vere *influit* in esse *causati* Non enim *per accidens* causare idem est, ac *non causare*: per accidens duplicem literam pingere idem, ac non pingere, sed utraque, tam causa *per se*, quam *per acc.* habet *verum* influxum: differunt

differunt tantum in *ordinatione* influxus. *Vere* ergo, licet ἀναλόγως causa est.

III. Num efficiens per emanationem sit vere efficiens?

Aff. Quia aliàs multa *fierent*, *quæ* causa *efficiente* carerent, quæ scilicet per *emanationem* producuntur, ut calor ab igne, lux à Sole, odor à moscho.

IV. Utrum causa conservans proprie sit efficiens?

Aff. Quia *proprie* ipsi convenit *actio*, quæ est efficientis *causalitas*. Medicamenta & alimenta omnino in corpus nostrum agunt, dum conservant illud.

V. An actio sit vera causalitas efficientis?

Aff. Quia actio *potentiam* causandi *proxime* deducit in *actum*. Sed objicitur: Actio est *effectus*; ergo non est *causalitas* efficientis. Resp. *Effectus* dicitur quandoque *id*, quod per actionem *producitur*, & est quasi actionis *terminus*, quomodo annulus est effectus aurifabri. *Hoc* modo *actio* non est *effectus*. Aliquando verò effectus *generalius* sumitur pro omni eo, quod à causa *effective* pendet; sic autem Actio, licet sit ipsa causalitas, est effectus etiam efficientis; non tamen per aliam à se distinctam actionem quia sic fieret progressus in infinitum; sed ipsa immediate ab efficiente prodit

pendet

penderque. In *reliquis* causis etiam *causalitates* primo sunt ab *ipsis*, & postea sunt *via* ad *causata*.

VI. Num exemplar sit peculiaris causa?

Neg. Plane non est *causa*, quia non importat *influxum*. Ad *efficientem* quidem pertinet, sed non ut *species* ejus, verum ut *conditio* ipsi ad agendum necessaria. Est ergo *principium*, scil. quatenus illud præscindit â *causali* & *non-causali*.

VII. An causa corrumpens in respectu ad terminum corruptionis proprie sit causa?

Neg. Quia non influit in *esse* rei, sed in *non esse*. *Non esse* verò non potest esse *effectus*, cum utrumque membrum affectionis (*caus. causat.*) *reali enti* competat. In respectu quidem ad *actum* corruptivum aliquando *proprie* est causa, ad *terminum* corruptionis nunquam.

VIII. An omnia media sint instrumentales causæ?

Neg. Quia non omnia *media* habent proprias *causalitates* in ordine ad *effectum*. Sudaria & collaria Pauli ad morbos & Dæmones arcendos adhibita Act. 19. v. 12. *media* quidem, non verò *instrumenta* fuerunt.

IX. An instrumentalis causa in omni sua actione instrumentalis sit?

Neg. Sæpe *duplex* conſpicitur in inſtrumentis *actio*: una, quam abſque *principali* cauſa poteſt exercere: *altera*, quæ ex *directione principalis* dependet. E. g. Malleus *per ſe* deorſum tendit propter *gravitatem*, & propter *duritiem* minus dura (vitrum, ollam, &c.) confringit. Hoc ſi præſtet abſque *directione*, non *inſtrumentalis* cauſa dicitur, ſed tum demum, quando *directio ſuperioris* agentis accedit.

X. *Utrum finis ſit vera cauſa?*

Aff. Quia habet *influxum* ad *cauſatum*, dum influit in *efficientem*, eámque *movet* ad agendum. Obj. 1. *Finis* agit *Metaphoricè*, ergo non *verè*. Reſp. *Agere* ſumitur vel *rigoroſè*, & ſic efficienti tantum competit: vel *generaliter* pro omni *influxu*, quomodo ad omnem *cauſam* pertinet. *Finis* cum dicitur agere *Metaphorice*, non poſteriori, ſed priori modo intelligitur, id eſt non per metaphoram *cauſæ*, ſed per metaphoram *efficit*, quia influxus *finis ſimilis* eſt influxui *efficientis*. Obj 2. Finis *quatenus finis* non exiſtit, ergo non eſt *vera* cauſa. Quicquid enim nondum *eſt*, quomodo *cauſare* poteſt. *Reſp.* (1.) Poſſet dici, quod quidam *finis* etiam *exiſtat*, qui ſcil. dicitur finis *obtinendus*, ut cum hoſtis invadit urbem, ut eam occupet. Verum *accurate* loquendo res ea, quæ *obtinetur*, non eſt *finis*, ſed *poſſeſſio*, fruitio ſ.

habitio

habitio istius rei, nam *causalitas* finis non est in *terminando*, sed in *movendo*. Quapropter etiam *finem obtinendum* ad dist. *nominales* retulimus. Ergo (2) dicimus, quod *finis* habeat hoc peculiare præ reliquis *causis*, ut possit *causalitatem* suam exercere, quando *nondum* est in *esse reali*. Causalitas enim ejus præcipuè est, ut *excitet* desiderium sui in *efficiente*. *Desiderari* autem *vere* potest, quod *nondum est*, si modo *cognitum sit*; quomodo pii in veteri Testamento *desiderarunt* adventum *Messiæ*, antequam *factus est*. Ne verò quis putet, nos ita *affectionem* tribuere *non enti*, vel *enti in potentiâ*, notandum est, quod circa *causalitatem* finis distinguendus sit terminus *à quo* à termino *ad quem*. Quoad terminum *à quo* finis tribuitur non enti; sed ita non exercet *causalitatem*, verum eam exerit quoad terminum *ad quem*, qui est *efficiens*, quam *excitat* finis. *Efficiens* verò *ens* est. Ergo finis *formaliter* tribuitur *enti*, non verò *non enti*.

XI. *Utrum, omnis efficiens agat propter finem?*

Aff. Nisi enim excitaretur à *fine* non ageret, *efficiens*. Sed objicitur: Quicquid agit *propter* finem, illud *cognoscit* finem. (*Ignoti nulla cupido.*) Quædam agentia non *cognoscunt* finem. E. Quædam agentia non agunt *propter*

finem. Minor probatur multis exemplis. Potentia activa agit, non tamen *cognoscit* semper finem. Potentia purgandi in rhabarbaro, potentia aperiendi venas in aloe, potentia, sulphuris in confortandis pulmonibus &c. *agunt* certe, sed fines non *cognoscunt*. Globus è bombarda missus transfodit lignum, & sic *agit*: Radius Solis illuminat museum: Lux Solis illuminat mundum *&c. finem* verò non *cognoscunt*. Resp. Negando majorem. *Cognitio* finis non est necessaria ex parte *cujusvis concurrentis*, sed satis est, si ad omnem actionem *concurrat* aliquid, quod *cognoscat* finem, alias etiam necessario malleus *cognosceret* finem fabri, quem *intendit*, dum cudit.

XII. *In quo consistat causalitas finis?*

Resp. Præcipue consistit in *excitatione* efficientis ad agendum, dum *amorem* sui in ea *movet*. Deinde vero etiam consistit in *ordinatione & mensuratione* mediorum, quibus *efficiens* ad acquisitionem finis utitur.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *causa* vel *causatum*. Sed observandum hic est, quod membra affectionum *disjunctarum* non nisi ad *præsens* objectum restringantur. Valet ergo regula tantum de *statu* mundi post *creationem*.

II. Om-

II. Omnis causa *agit.*

Agere sumitur vel *generaliter* vel *specialiter. Generaliter* significat *influere* in *causatum*, sive hoc fiat *actione*, sive *passione*, sive alio modo. Ita accipitur *agere* in regula. *Specialiter* sumptum competit *soli efficienti* & fit per *veram actionem*, quæ est *causalitas efficientis.* Sic regula non valet, sed particulariter est vera de *sola efficiente.*

§ III. Nihil est causa *sui ipsius.*

Esset enim, *antequam* esset, quod absurdum. *Esset*, quia *in se* influeret: *Non esset*, quia *producendum* esset. Intelligitur verò regula. 1. *positivè*, ut sit sensus: Nihil *positive* influit in suum esse. Deus est à seipso, sed *negativè*, id est, non est ab aliqua causa. 2. *Simpliciter*, ut sit sensus: Nihil est sui ipsius causa *simpliciter*, licet possit esse sui causa *secundum quid*, ut cum quis se facit *virtuosum*, non dat sibi esse *simpliciter*, quia illud jam ante habet. 3. *Secundum idem esse* sc. vel *reale* vel *intentionale.* Nam alias finis, quatenus est in *esse intentionali*, est suiipsius causa, ut sit deinde in *esse reali*, quia movet *efficientem*, à quâ producitur *effectus*, qui antea erat *finis.*

IV. Causa est prior *causato.*

Prioritate scil. *naturæ.* Nam de prioritate *temporis* non semper vera est regula. Anima nostra

noſtra & ejus intellectus *tempore* ſimul ſunt, & tamen *anima* intellectus *cauſa* eſt. Intelligitur vero in Axiomate res, quæ cauſa eſt, in *particulari*; non cauſa in natura *abſtractiſſima*. Nam hoc modo *cauſa* & *cauſatum* ſunt *ſimul natura*, quia neutrum abſque mentione alterius poteſt definiri, & de utroque valet reciproca eſſendi conſequentia: Si cauſa non eſſet, nec cauſatum eſſet: Si cauſatum non eſſet, nec cauſa eſſet.

V. Poſita *cauſa*, ponitur, *cauſatum*.

De cauſa *efficiente* ita valet. *Poſitæ efficiente adæquata in eſſe cauſæ*, id eſt in *actu* cauſandi & *non impedita, ponitur effectus in eſſe effectus*, hoc eſt, in *fieri*. (Nam in eſſe *abſoluto* tum demum ponitur *effectus*, quando *abſoluta* eſt actio efficientis.) Dico *adæquata*, quia e.g. fœmina ſola non poteſt gignere, nec malleus cudere.

De cauſis *internis* valet regula, *ſi ponantur in unione*. Sic non valet anima eſt in *cœlo*, & corpus in *terra*, Ergo eſt homo.

VI. Negata *cauſa*, negatur *cauſatum*.

De cauſa *efficiente*, ſi effectus tantum ab ea dependet in *fieri*, ita valet regula: *Si efficiens non datur, vel non influit, nullus ſequitur effectus illius cauſæ in fieri*. Si non *datur* architectus,

ctus, vel si non *operatur*, nulla datur *ædificatio*; Si vero *effectus* continuò à causa in *esse* etiam dependet, ita valet regula: *Sublatâ causa necesse est perire effectum.* Sic, si Deus destrueret Solem, periret *lux* ejus. De causis *internis* ita valet: *Negatis vel sublatis materia & forma, & earum unione, negatur vel tollitur earum causatum.* Sic, si non *est* anima & corpus, vel, si non amplius sunt in *unione*, *tollitur* homo. Valet etiam *de fine*, ita scilicet: *Si nullus finis excitat efficientem, vel si finis desinit movere efficientem, nullus ab ea procedit* ἐνέργεια propter finem suscepta.

VII. Causa est *nobilior* causato.

Valet in duplici sensu: 1. Si per causam *complexè* omnes omnium generum causæ simul sumptæ intelliguntur. 2. Si causa sumatur in *esse causæ*, id est, in *influendo*, & causatum *in esse causati*, id est, *in fieri*.

VIII. Causa *causæ* est etiam causa *causati*.

Sunt, qui hanc regulam usurpant de *finali* etiam & *materiali* causa, ut & de causis *diversi generis*. Verum quia ita premitur multis difficultatibus, nos eam ad causam *efficientem* restringimus, & de causis *ejusdem generis* (ut *utraque* sit efficiens) intelligimus. Ita intellecta hunc habet sensum: *Cum causa efficiens producit effectum, & ille effectus iterum producit alium*

um effectum, tum prior efficiens est etiam causa posterioris effectus. Valet autem regula tantum in efficientibus *per se & essentialiter subordinatis* (non vero in *subordinatis accidentaliter.*) Sunt vero efficientes *essentialiter subord.* ita comparatæ, ut altera ex *natura sua* dependeat ab altera *in causando.* Comparantur enim inter se duæ *causæ subordinatæ*, quatenus ab iis unum *causatum* dependet.

IX. *Qualis* causa, *talis* effectus.

Hanc regulam etiam restringimus ad efficientem, eamque *univocam*, & secundum *attributa essentialia* (tam *constitutiva* quam *consecutiva*) considerata, ut sit sensus: *Qualia attributa essentialia habet causa univoca, talia etiam habet effectus illius causæ. Pater* est risibilis, ergo & *filius.* Non valet ergo in attributis *personalibus, notionalibus* &c. nec de causa *æquivoca, morali* &c. In talibus si quandoque detur, ex hac regula consequentia illa *contingens* tantum est, & per *accidens* infert.

X. *Posito* effectu *ponitur* causa.

Valet de efficiente *adæquata*, hoc sensu: *Posito effectu, necesse est efficientem ejus adæquatam esse vel fuisse.* Ut: Petrus homo est: ergo Parentes habuit.

XI. *Nullum* efficiens agit in *seipsum.*

Scilicet *eodem* respectu. Nam *diverso* respectu

unum

unum idemque *suppositum*, imo una eademque *pars* suppositi in *seipsam* agit. E. g. *Anima* movet *corpus* in eodem supposito: Una eademque anima rationalis secundum potentiam *activam producit* intellectum, & secundum potentiam *passivam* eundem in se *recipit*.

XII. Quod efficiens non *habet*, non potest effectui *dare*.

Habere dicitur efficiens aliquid vel *formaliter*, ut ignis calorem habet; vel *eminenter* s. *virtualiter*, quomodo Sol habet calorem; vel *secundum naturalem convenientiam*, quomodo pater pedibus carens gignit filium pedes habentem. Hic ergo est sensus regulæ: *quod efficiens nec formaliter, nec virtualiter, nec secundum naturalem convenientiam habet, illud effectui dare non potest.*

XIII. Efficiens dans *formam*, dat etiam *consequentia* formæ.

Intellige *propria*, non verò *actiones* & *effectus*. Pater dat filio *risibil.* non verò *risum actualem.*

XIV. Efficiens *naturale* manens *idem* semper agit *idem.*

Id est, agit semper *uno eodemque modo.* Sol liquefacit & indurat, *uno* tamen *modo* agendi.

XV Actiones

XV. Actiones sunt suppositorum.

Lim. Vera est regula 1° de principio actionis *quod*, non de principio *quo*. Nam & *ignis* calefacit, & *calor* calefacit, atque ita uterque *agit*; calor verò non est *suppositum*. 2°. Si principium actionis *quo* sit in supposito. Anima à corpore *separata* intellectu suo *intelligit*, & ita *agit*. De hac actione non valet regula quia Intellectus iste (princ *quo*) non est in supposito) Anima enim non est suppositum.

XVI. Omnis *actio* est *propter finem*.

Excipiuntur 1. *actiones Dei immanentes*; quia sunt ipsa *essentia divina*, quæ non habet *causas*. 2. Istæ actiones (secundum Aristotelem, in quibus est *summum bonum*. 3. Actiones efficientis *per accidens*, quatenus fiunt *per accidens*. Nam *una eademque* actio diverso respectu interdum fit *per se* & *per accidens*.

XVII. *Propter quod* unumquodque *tale* est, *illud* magis est tale.

Valet hæc regula de *fine* & *efficiente*. *In causa finali* hunc habet sensum: *Propter quod aliud intenditur, illud magis intenditur*. E. g. Studiosus *intendit* proficisci *Wittebergam* propter *eruditionem*, ergo eruditionem *magis* intendit. *In causa efficiente* hunc sensum infert: *Propter quod attributum alteri idem attributum formaliter inest, tanquam effectus per se & adæquatum*,

tus, illud est præstantius, si admittat magis & minus. E. g. Luna est lucida *propter* Solem; Ergo Sol *magis* est lucidus. Creatura est *bona* propter *Deum*: Ergo Deus *magis* est *bonus*. Requiritur ergo 1. ut unum attributum *utrique insit*. 2. ut *formaliter* insit. 3. ut, quod *huic* ineſt, sit *numero* diversum ab eo, quod *illis* ineſt. 4. ut unum sit *causa* alterius. 5. ut recipiat *magis & minus*.

XVIII. *Finis & bonum* sunt *idem*.

Non *formaliter*, sed *materialiter*; hoc est, ea *res*, quæ rationem *finis* habet, etiam est *bona* vel *vere* vel *apparenter*. Nihil enim desideratur, nisi sub ratione boni.

XIX. Qui vult *finem*, vult etiam *media* ad finem.

Loquitur regula 1. *de jure*, non *de facto*. 2. De *mediis necessariò cum fine connexis, & per se*, (non per *accidens*) ad *finem* ducentibus. Hunc ergo habet sensum: Qui vult *finem* (*serio*), ille *merito* etiam vult *media necessaria & per se* ad *finem* ducentia.

CA-

CAPUT. XVII.

DE

SIMPLICITATE ET COMPOSITIONE.

Hactenus ex primariis disjunctis affectionibus consideravimus *immediatas*, sequuntur *mediatæ*, quarum prima est *simplicitas* & *compositio*.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. *Simplex* opponitur 1. *doloso*. 2. *prudenti*. 3. *ornato*. 4. *mixto*. 5. *composito*.

Ultima acceptio est hujus loci, & dicit *ens esse* quasi *sine plica* plurium, s. non *complicatum* ex pluribus.

Formale.

II. Simplicitas est *unitas indivisibilis*.

Simplicitas & compositio constituunt *affectionem* entis *disjunctam mediatam*, quæ ex *unitate* resultat. Unitas ergo ejus *fundamentum* est, & *indivisione* sua ejus naturam exprimit, ita ut membra *unitatis* in *re* sint ipsa membra *hujus disjunctæ affectionis*. Quapropter etiam in definitione simplic. *unitatem* facimus quasi *genus*, & *indivisibile* quasi *differentiam*.

Divisio.

Divisio.

III. Estque vel *absoluta* vel restricta.

Absoluta simplicitas est, qua ens *independenter* est indivisibile. Hæc solius Dei est. Simplicitas *restricta* (in certo genere, *entis* scilicet, non *corporum*) est, qua ens ita est *indivisibile*, ut indivisibilitas *aliunde dependeat*. Hæc competit *spiritibus creatis* & *essentiæ accidentium*.

Ambiguitas.

IV. Compositio notat vel *actum componentis*, vel *statum compositi*.

Illo modo significat *influxum* illius, quod per *actum effectivum externum* aliud *componit*; ut cum architectus componit domum. *Hoc* modo designat *internam* rei *conditionem*, qua Res ipsa intrinsece est *compositum*. Ita h.l. accipitur.

V. Compositio est vel *essentialis*, vel *accidentalis*.

Essentialis est, qua *plura entia* componuntur in *una essentia*, & dant unum *per se*. Hæc est hujus loci. *Accidentalis* est, qua plura entia componuntur *extra essentialiter*, & unum *per accidens* exhibent. Hæc quidem in se spectata *proprie* est *compositio*: Quando enim *plures essentiæ* verè *uniuntur*, propriè fit *compositio*. Hoc

in

in loco tamen *impropria* dicitur, quia hic quærimus affectiones, non entis *per accidens*, sed entis *per se*.

Modi *compositionis accidentalis* sunt tres 1. *Inter substantiam & substantiam*, qualis est in aqua falsa, ferro ignito &c. 2. *Inter substantiam & accidens*, ut compositio ex homine & justitia, Sole & luce, igne & calore. 3. *Inter accidens & accidens*, ut compositio ex colore & sapore in pomo.

VI. Compositio est vel *realis* vel *rationalis*.

Realis est, in qua termini componentes *realiter* differunt. Ad hanc per *analogiam* spectat compositio ex *natura & supposito* in ente *finito*. Hi enim termini *realiter* differunt, quia possunt separari; *Rationalis* est, in qua termini componentes non nisi *ratione* distinguuntur. Talis est 1. compositio ex *natura & supposito* in ente *infinito* (NB. Hæc compositio dicit conjunctionem *essentiæ* & *modi subsistendi ultimati*, qui *suppositalitas* dicitur, uti hoc in parte *speciali* fusius declarabitur. *Suppositalitas* verò, quia à Deo plane *inseparabilis* & cum essentia simplicissima plane *idem* est, compositionem *rationis* tantum parit.) 2. Compositio *ex subjecto & attributo*, *vel attributo & attributo* in Deo. 3. Compositio *ex genere & differentia*, *vel*

vel differentia & differentia Hæc ideò pertinet ad compositionem *rationis*, quia *genus* non datur, nisi per *intellectus* operationem. Nam à parte *rei* genus & differentia sunt *unum* & idem. 4. Compositio *ex esse & essentia.* Hæc etiam non nisi *rationalis* est. Nam si per *esse* intelligitur id, *quod* est (e.g. canis) per *essentiam* verò tota *quidditas*, seu totum illud, *quo* res est (e. g. canitas) quoad rem sane *illud* ab hoc non differt: Si verò per *esse* intelligitur *essentia actualis*, per *essentiam* verò *talis entitas*, quæ enti in *potentia* etiam competere possit, nec sic fit compositio *realis*, quia essentia in potentia *nihil* est; illa essentia, quæ est *aliquid*, ab *actuali existentia* plane non *differt.*

Formale.

VII. Compositio est *unitas divisibilis.*

Quid sit unitas divisibilis, patet ex c. 3. Unde fluit, quod 2. sint *propriæ compositionis* (de qua hic agimus) requisita. 1. Ut *plura* adsint entia *partialia realiter* distincta, & à se invicem *separabilia.* 2. ut ex istis *unum* ens *per se* constet.

Divisio.

VIII. Compositio est vel ex *materia* & *forma*, vel ex *partibus quantitativis.*

Utraque

Utraque competit omnibus & ſolis *corporibus*, ſi rigorotè loquimur: *Illa* conſtituit *totum corpus*: *Hæc* partem corporis, *materiam* ſcilicet, quam partes *quantitativæ* integrant. Huc quidam propter cognationem reducunt Compoſitionem *ex partibus integrantibus analogis*, quo ſenſu *Metaphyſica* compoſita eſt ex parte *generali* & *ſpeciali*. Sed hic *aliquid per accidens* involvitur.

DE TOTO ET PARTE.

Doctrinæ de ſimplici & compoſito ſubjungimus doctrinam de *toto* & *parte*, & quidem ita, ut peculiare caput non conſtituat, quia in ſua *disjunctione* non exhaurit *totam latitudinem* entis: *Deus* enim *proprie* nec *totum*, nec *pars* eſt. Refertur ergo huc propter *cognationem*. Compoſitum enim, quando opponitur *terminis componentibus*, tanquam *partibus*, vocatur *totum*.

Ambiguitas.

IX. Totum eſt vel *perfectionale*, vel *poteſtativum*, vel *univerſale*, vel *numerale*, vel *eſſentiale*, vel *integrale*.

Perfectionale eſt, quod habet *totalitatem* omnium *perfectionum*, ut Deus. *Poteſtativum* eſt, quod

quod continet *plures potentias* ſ. facultates inſtar partium *unitas*. Sic *anima* noſtra continet *intellectum*, *voluntatem*, pot. *videndi audiendi* &c. *Univerſale* eſt *conceptus*, qui plura *eſſentialiter inferiora* ſub ſe continet: Sic animal ſub ſe continet brutum & hominem tanquam partes. *Numerale* eſt, quod ex *pluribus unitatibus* conſtat. Hoc eſt numerus. *Eſſentiale* & *Integrale* paulo poſt deſcribemus.

Formale.

X. Totum eſt, quod ex *partibus debito modo unitis conſtitnitur.*

Diviſio.

XI. Totum eſt *vulgare* vel *ſingulare*. Vulgare eſt vel *eſſentiale*, vel *integrale*. Integrale vel *homogeneum* vel *heterogeneum*. *Vulgare* appellamus ideo, quia multa ejus in natura exempla occurruut. *Eſſentiale eſt, quod conſtat ex partibus, eſſentiam totam conſtituentibus*; ut homo, quatenus conſtat anima & corpore. *Integrale eſt, quod conſtat partibus quantitativis ſeu integrantibus*; ut homo, quatenus conſtat capite, ventre, pedibus &c. *Integrale homogeneum eſt quod eandem cum partibus habet naturam* (licet non ſemper eandem *appellationem*;) ut aqua, quia quævis pars aquæ eſt aqua. *Heterogeneum eſt, quod diverſam à partibus*

tibus habet naturam. Sic cor hominis non est homo. *Singulare totum* (*aliquibus* etiam *Personale* dictum) ἀνυπόστατον, qui persona σύνθετον à Theologis vocatur.

XII. Pars est, quæ *totum constituit.*

Partes *propriè* dictæ sunt tantum in toto *essentiali* & *integrali*, & dicuntur partes *essentiales* & *integrales*. *Illæ* constituunt essentiam rei per *unionem essentialem*: *Hæ* per *cohæsionem continui*. Reliquarum æquivocè ita dictarum partium definitiones ex descriptionibus totius facile cognoscuntur.

PROBLEMATA.

I. An personæ SS. Trinitatis faciant compositionem in divina essentia?

Neg. Ad *compositionem* enim requiruntur *plura* entia à se invicem *separabilia*, Th. VII. quæ de *Deitate* dici non possunt.

II. An omnis compositio realis proprie sit hujus loci?

Neg. Accidentalis etiam est *realis*, quia mente non fingitur; huc tamen non spectat. Realis etiam suo modo est Comp. ex *natura* & *supposito* in creatis; hic tamen speciem *propriæ* compositionis non facit, quia *suppositalitas* non est *ens*, sed *modus*: Modus verò non *componit*.

III. *Num*

III. *Num Deo repugnet compositio rationis?*

Neg. Illa enim non *Dei*, sed *Intellectus* nostri *imperfectionem* arguit. Non ergo impium est, *Deum* & ejus *attributa* sibi in *diversis conceptibus* repræsentare.

IV. *An totum perfectionale, potestativum, universale & numerale propriè ad totum h. l. spectent?*

Neg. Perfectionale non habet *partes* quoad *rem*; Perfectiones enim *Dei* sunt *ipsa* Dei *essentia*. Ergo *propriè* non est *totum*. Potestates *spiritus finiti* sunt eius *accidentia*; Ergo eius *partes* esse non possunt. *Partes* enim constituunt *totum*. At *accidentia* non constituunt *substantiam*. Ergo *potestativum* etiam non est *propriè* sic dictum *totum*. *Universale* ideo non est *totum*, quia *inferiorâ*, quæ debent esse *partes*, non sunt *in ipso*; nam *ab inferioribus* universale *præscinditur*. Partes autem debent esse *in toto* & illud constituere. *Numerale* est totum per *accidens*, idcirco non est h. l. *propriè* totum.

V. *An totum sit definiendum sine mentione partium?*

Neg. Sunt qui affirmant, ut definitio generalis sit, cum totum *perfectionale* non habeat

partes,

partes, & tamen sit *totum*. Sed hoc tantum *æquivocè* dicitur *totum*, non *propriè*.

AXIOMATA.

I. *Omne* ens est vel *simplex*, vel *compositum*.

II. Simplex est *prius* composito.

Sc. isto, quod ex illo *simplici* constat. Est autem prius non *tempore* semper, sed *natura*. Intelligitur autem non tantum simplex *absolutè*, sed *respectivè* sic dictum, quod est *minus compositum*. Materia arboris est composita ex 4. elementis, simplex tamen dicitur respectu totius arboris, & sic ista quoque naturâ prior est.

III. Totum est *majus* qualibet sua parte.

Hoc *principium primum* quidam repugnare putant miraculis de 5. & 7. panibus, quia *plus* remanserit, quàm ab *initio* adfuerat. Sed *fragmenta* relicta non fuerunt *simpliciter* partes istorum panum, sed panum jam *miraculosè* benedictorum. Quævis ergo *pars* cum *suo toto*, & non cum *alio* conferatur, & regula semper vera erit.

IV. Ubi *totum est*, ibi necessariò *omnes partes sunt*.

Valet regula de omni toto *proprie* sic dicto, scil. de *essentiali*, *integrali*, & *singulari*, ita tamen

men, ut in *integrali* intelligantur *partes principales*, non *minus principales*.

V. Quicquid *toti* tribuitur, (*materialiter, non formaliter,*) illud ei secundum aliquam *partem* ad minimum conveniat, necesse est.

Homo dicitur procerus. Non secundum *animam*, sed *corpus*.

VI. Pars *partis* est quoque pars *totius*.

Digitus est pars *pedis*, Ergo est quoque pars *hominis*.

VII. Quicquid prædicatur de *parte*, prædicatur etiam de *toto*.

Valet regula 1. de *entitate* partis *absoluta*, non de *esse formali*. 2. De istis, quæ non sunt peculiariter ad partem *determinata*. Sic non licet dicere; *anima* est spiritus, ergo & *homo* est spiritus. 3. De partibus *homogeneis*. De *Heterogeneis* tum tantum valet, quando non est *diversa ratio* in toto, cur ipsi *prædicatum* non competat. 4. De istis *prædicatis*, quæ toti non *repugnant*, ut anima *intelligit*; Ergo & homo,

VIII. Quæ est ratio *totius*, ea etiam est *partis*, Limitatur ex præcedenti Canone.

CAP.

CAPUT XVIII.

DE *IDENTITATE ET DIVERSITATE.*

Ambiguitas.

I. Identitas est vel *rei*, vel *rationis*.

Identitas *rei* hujus loci est, & postea definietur. Identitas *rationis* est, quando ratio *fingit* convenientiam aliquam, quæ in *re* non datur. Estque vel rationis *ratiocinantis*, cum *unum tantum* datur *extremum*, quod ad *seipsum* refertur: ut, Petrus sibi ipsi idem est; vel rationis *ratiocinatæ*, cum ratio *fingit* conceptum, in quo *plura realia extrema* conveniunt; ita tamen, ut à rebus ansam fingendi accipiat. Huc pertinet identitas *generica* & *specifica*. Homo & equus sunt *idem genere*, conveniunt enim in *animali*. Petrus & Johannes sunt *idem specie*, quia uterque est *homo*.

Bonmale.

II. Identitas est *plurium* in *aliquo tertio* convenientia.

Quæ ergo in aliquo tertio conveniunt, illa respectu

respectu ejus dicuntur eadem.

Divisio.

III. Identitas est vel *essentialis*, vel *extraessentialis*. Hæc est vel *suppositalis*, vel *causalis*, vel *effectiva*, vel *subjectiva*, vel *accidentalis*.

Identitas *essentialis* est, quando *plura* conveniunt in aliquo *tertio essentiali*, ut, quando materia & forma conveniunt ad constituendam intrinsecè essentiam corporis.

Extra-essentialis est, qua *plura* conveniunt in uno *tertio extraessentiali*. Hæc vero quintuplex præcipuè est.

Suppositalis est, qua plures *naturæ* conveniunt in uno *supposito* vel *persona*. Sic *suppositalitèr* idem sunt aqua & sal ei permistus.

Causalis (secundum *causas* scil. *externas*) est, qua *plura* conveniunt respectu *efficientis* & *finis*. Sic duo automata respectu ejusdem automatarii tanquam efficientis, duo competitores respectu ejusdem officii tanquam *finis* habent identitatem.

Effectiva est, qua *plura* conveniunt respectu *ejusdem effecti*. Hanc identitatem habent pater & mater respectu filii, multi Architecti respectu ejusdem domus.

Subjectiva est, qua plura conveniunt in *eodem subjecto*, ut justitia & temperantia in uno homine.

Acciden-

Accidentalis est, cnm *plura* conveniunt in *eodem accidente*. Sic Metaphysica & in intellectu est, & in anima.

Formale.

IV. Diversitas est *plurium in aliquo tertio disconvenientia.*

Quæ ergo in aliquo tertio *non conveniunt*, ea respectu illius tertii *diversa* dicuntur. Ferrum & ignis (cum ferrum est ignitum) sunt *diversa* ratione *formæ*: sunt eadem ratione *suppositi.*

Distinctiones Nominales.

V. Diversa sunt vel *primo diversa*, vel *diversa differentia.*

Primo diversa sunt, quæ in nullo *genere* conveniunt; ut decem summa genera, Deus & creaturæ.

Diversa differentia sunt, quæ habent *unum* commune *genus*, sub quo differunt ab aliis. Sic equus & canis conveniunt in animali, differunt per differentias suas specificas.

VI. Diversitas est vel *realis* vel *rationis.*

§. 1. *Realis* est eorum, quæ citra operationem *intellectus* distinguuntur. Hæc est hujus loci.

§. 2. *Rationis* est eorum, quæ citra operationem

tionem *intellectus* non distinguuntur. Hæc vocatur distinctio *rationis ratiocinatæ*, quando ratio nostra occasionem & ansam distinguendi à rebus accipit: (Hæc ipsa est, quæ aliàs distinctio *formalis* dicitur) *ratiocinantis*, quando occasione tali destituitur. Sic quia aliæ hominis actiones ipsi soli competunt, ut loqui, ridere, &c. aliæ etiam bestiis cum eo communes sunt, ut ambulare, audire, videre, &c. ratio nostra ansam inde sumit & fundamentum, ut *distinguat* inter esse *hominis* & *animalis*, cum tamen *una eademque* sit *essentia*, & nulla multitudo essentiarum nobis exhibeatur. Sed quando in hac propositione identica, *Homo est homo*, distinctio fit inter hominem & hominem, quia mox ut subjectum, mox ut prædicatum propositionis consideratur, nullam ex re mens nostra accipit ansam, ideo dicitur distinctio rationis *pure s. ratiocinantis*.

VII. Diversitas s. distinctio rationis *ratiocinatæ* solet statui triplex: *Virtualis, formalis*, & *modalis*.

§. 1. *Virtualis* est, quando aliquod quoad rem planè *indistinctum* in efficacia sua se *variè* exerit, ac si contineat *virtutum* diversitatem. Sic vis *indurativa* & *liquefactiva* in Sole est plane *una eademque*, & distinguitur tantum ex *objectis*.

§. 2. *Formalis* est, quando *unum, idemque* sub *distinctis formis* s. rationibus concipiendi in nostra mente repræsentatur. Sic *alius* conceptus *formalis* formatur de *homine*, quatenus *homo*, & *alius*, quatenus *animal* est. Nota: aliquando omnis distinctio rationis *ratiocinate* vocatur distinctio *formalis* Th. VI. aliquando vero est ejus quasi species.

§. 3. *Modalis* est, quæ versatur inter *rem* & *modum* ejus *inseparabilem*, vel inter *modum* & *modum* minime sibi *oppositos*, ut inter *ens* & *ubietatem*: item inter *ubietatem* & *durationem*.

Divisio.

VII. Diversitas *(realis sc.)* est vel *distinctionis* vel *oppositionis*.

IX. *Distinctio* est diversitas *(realis)* sine *repugnantia*.

Diversitas est vel *cum pugna*, vel *sine pugna*. Quando est *cum pugna*, simul infert *oppositionem*, & quæ sic *diversa*, dicuntur *opposita*. Quando vero *sine pugna* est, tantum parit *distinctionem* aliquam, & quæ sic *diversa* sunt, *distincta* vocari solent.

X. Distinctio *(realis)* est 1. vel *strictè* vel *analogicè* dicta.

XI. *Strictè* dicta *distinctio* est inter *rem* & *rem*, &

& consistit in hoc, ut una res non sit alia res. Dicitur etiam distinctio realitatis *majoris.*

XII. Distinctio *analogicè* dicta est inter *rem* & *modum* ejus *separabilem*, vel inter *modum* & *modum*, qui sibi invicem sunt oppositi. Dicitur etiam dist. realitatis *minoris.*

§. 1. Affectiones *entì* competunt, non entis *modis*, nisi *secundariò*, & secundum *analogiam.* Sicut hoc valet de omnibus affectionibus, ita etiam de *distinctione.* Hæc ergo si *modis* applicatur, fit hoc secundum *analogiam.* Non vero potest omnibus modis applicari distinctio (*realis* sc. quæ *proprie* est distinctio) sunt enim modi vel *separabiles*, vel *inseparabiles* ab essentia: vel tantum *distincti*, vel simul *oppositi.* Istis tantum potest aptari distinctio (*realis,*) qui possunt separari ab essentia, ut compositio à corpore & anima: ratio causæ ab architecto. Vel qui sunt *oppositi* sibi invicem, ut *causa* & *causatum.* Nihil enim *eodem* respectu potest esse *causa* & *causatum.* Si vero modi sint ab essentia *inseparabiles*, vel *distincti* à se invicem tantum, competit ipsis saltem distinctio *rationis* Th. VII.

§. 2. Ad distinctionem (*realem*) *analogicè* dictam pertinet distinctio Personarum SS. Trinitatis, quas *realiter* à se invicem *differre* cum orthodoxa antiquitate credimus, idque propter

ter *oppositionem relativam* modorum subsistendi.

XIII. 2. Distinctio (*realis*) est vel *realis tantum*, vel *simul essentialis*.

XIV. *Realis tantum* est, quæ in una essentia *numerica* reperitur.

Sic personæ SS. Trinitatis distinguuntur *tantum realiter*, quia sunt ejusdem *numericæ* essentiæ, & tamen quoad *modum* subsistendi sibi mutuo sunt *incommunicabiles*.

XV. *Essentialis* est, quæ inter *diversas numero essentias* reperitur.

Talis distinctio est inter hominem, virtutem, intellectum, scientiam: inter ignem & calorem &c.

XVI. Oppositio est diversitas (*realis*) cum aliqua *repugnantia*.

§. 1. Non intelligimus hic oppositionem *complexam*, qua *propositiones* sibi invicem *repugnant*, quæ à Logicis traditur; sed *incomplexam*, qua *res* seorsim spectatæ *pugnam* exercent inter se.

§. 2. Quia tam in definitione *distinctionis* quàm *oppositionis* mentio fit *repugnantiæ*, explicanda ea est. Non intelligimus autem hic directè *logicam* repugnantiam, qua *termini* sic de se

ſe *negantur*, ut non poſſint de ſe *affirmari*: Sed talem, qua *res* ita *diſſentiunt*, ut communi naturæ curſu non *coeant* ad *unum*.

§. 3. *Veræ* autem *repugnantiæ* conditiones ſunt 5. quod ſc. propter eam oppoſita non poſſint tribui 1. *eidem* ſc. *ſubjecto*, vel *rei*, (non opp. calor in *igne*, & frigus in *aqua*,) 2. *ſecundum idem*, i. e. ſecundum *eandem* ſubjecti *partem*. (Non opp. albedo *dentium*, & nigredo *cutis* in Æthiope.) 3. *ad idem* i. e. ad eundem *reſpectum*. (Non opp. Pius eſt juſtus coram *hominibus*, non juſtus coram *Deo*.) 4. *eodem tempore* & *momento* temporis. 5. *in excellenti gradu*.

XVI. Oppoſitio ſumitur vel *generaliter* vel *ſpecialiter*.

Hoc modo reſtringitur ad 4. vulgares modos: *Illo* modo latius patet, & complectitur etiam iſtam repugnantiam, qua extra illos 4. modos res inter ſe *pugnant*. Omnino *opponuntur* ſibi homo, aurum, cœlum &c. quia non poſſunt *conjungi* ad *unum*, & tamen nec *relativè*, nec *contrariè*, nec *privativè*, nec *contradictoriè* opponuntur. Ergo ampliandus eſt terminus *oppoſitionis*, ut hæc & *alia pugnantia* etiam comprehendat. Quæ ergo revera pugnant, & ad quatuor vulgares modos non poſſunt referri, ea ſpectant ad oppoſitionem *generaliter* dictam.

XVIII. Oppositio *specialiter* dicta vulgo est quadruplex: *Relativa, Contraria, Privativa, & Contradictoria.*

§. 1. Hujus divisionis rotunditas ita probatur: *Oppositorum* vel utrumque membrum est *positivum*, vel alterutrum *negativum*. Si membra sunt positiva, sunt vel *absoluta*, vel *respectiva*. Si sunt absoluta, fit oppositio *contraria*: Si respectiva, oritur *relativa*. Si alterum est *negativum*, negat & tollit aliquid vel *absolutè*, vel in determinato & capaci subjecto. Si *illud*, est *contradictoria* opp. Si *hoc*, *privativa* salutatur.

§. 2. Oppositio *relativa* est pugna inter *relata*, quorum unum *eodem* respectu non est *alterum*, ut pater non est filius. Hæc est oppositio debilissima.

§. 3. *Contraria* est pugna entium *positivorum absolutorum*, quæ è regione & sub *eodem genere* sive *proximo* sive *remoto* distant. Sic opponuntur virtus & vitium, albedo & nigredo, homo & brutum &c. Contraria sunt vel *mediata*, vel *immediata*.

§. 4. *Privativa* est pugna inter *habitum* & *privationem* ejus, ut inter *sanitatem* & *morbum*: aptitudinem *videndi* in oculo, & *cæcitatem*.

§. 5. *Contradictoria* est pugna inter ea, quæ se habent ut *ens* & *non ens negativum*, ut inter

ter *hominem* & *non-hominem*, canem & non canem &c. Eſt verò Contradictio vel *explicita*, vel *implicita*. *Illa*, cum *oppoſito* termino *expreſſa negatio* præfigitur, ut cœlum, *non-cœlum*. *Hac*, cum primo intuitu uterq; terminus videtur eſſe *poſitivus* abſque *pugna*, alter tamen *negationem* involvit; ut, ſtramen marmoreum, cereviſia lignea &c. Dicitur aliàs *contradictio* in *adjecto*.

PROBLEMA.

I. An unum & idem differant?

Aff. Quia unitas eſt aliquod *abſolutum*, identitas *reſpectivum*.

II. An diſtinctio rationis ſit propriè ſic dicta diverſitas?

Reſp. In *Metaphyſica* non eſt *propriè diverſitas*, quia *affectiones* competunt *enti* præter *mentis* noſtræ operationem, unde etiam eam Th. VI. ad diſtinctiones *nominales* ſ. æquivoca retulimus. In *Gnoſtologia* verò, quin propria dicatur diverſitas, nil impedit.

III. Quænam ſint genuinæ notæ diverſitatis ſeu diſtinctionis realis?

R. Realiter differunt 1. quæ habent *diverſas eſſentias*. 2. quæ *ſeparari poſſunt* ab invicem

(sive *ordinarie*, sive *extraordinarie*: sive *mutua*, sive *non mutua* separatione.) 3. Quæ sunt *oppositæ*. 4. Quæ se habent, ut *producens* & *productum*. 5. Quorum *subjecta* sunt *realiter* distincta. Hæc sunt certissima indicia.

IV. An modalis distinctio sit contradistincta reali & rationali?

Neg. Quia omnis *modalis* commodè referri potest vel ad *realem*, vel ad *rationalem*. Th. VII. & XII.

V. An ex natura extremorum, an verò ex eorum latitudine ad se invicem distinctio realis & rationis judicanda sit?

Aff. Posterius. Nam distinctio *rationis* datur etiam in ente *reali*, e. g. inter omnipotentiam & omniscientiam Dei. Distinctio *realis* datur etiam inter *rem* & *modum*, *modum* & *modum*. Th. XII.

VI. Num individua unius speciei differant realiter tantum?

Ita non nemo sentit. Sed nos negamus. Nam quæ habent *diversas essentias*, inter ea datur distinctio *essentialis*. Sed individua &c. E.

VII. An, quæ essentialiter idem sunt, statim semper idem sint realiter?

Neg.

Neg. Realis distinctio potest dari in essentiali identitate Th. XIV. Personæ SS. Trin. sunt essentialiter idem, realiter tamen distinguuntur.

VIII. An in creatis suppositalitas realiter à natura differat?

Aff. Quia *separari* potest ab ea si non semper *ordinariè*, saltem potentia Dei extraordinaria. Ut humana Christi natura non humana suppositalitate, sed divina subsistit.

IX. Num substantiæ, ut tales, sibi invicem possint contrariè opponi?

Resp. Re accurate pensitata affirmo quæsitum, quia omnes *genuinæ* notæ *contrarietatis* iis possunt applicari e. g. Homo & bestia sunt *contraria*, quia 1. *unum* uni *opponitur*, 2. sunt sub *eodem genere* sc. animali. 3. *maximè* à se *distant*, quatenus talia. 4. uterque terminus est *positivus absolutus*. 5. *Expellunt* se è *communi subjecto*, non quidem per expulsionem *effectivam*, quasi *antea insint* in subjecto, & postea per vim se *ejiciant*, (quæ etiam in notis contrarietatis non intelligitur) sed per *formalem*, quæ non permittit *duo* conjungi ad *unum* subjectum; vel, qua *unum* in subjecto ponit *impossibilitatem*, ut ibi sit *alterum*; Breviter, qua *termini* ad *unum* susceptivum sunt *incompossibiles*.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *idem*, vel *diversum*.

II. Quorum *unum* potest esse sine *altero*, ea non sunt *simpliciter idem*.

Separabilitas enim est nota distinctionis *realis*.

III. Quæ in uno *tertio* sunt *eadem*, inter *se* sunt *eadem*.

Sc. respectu illius tertii, in quo conveniunt.

IV. *Simile* vel *æquale* non est *idem*.

Sc. Identitate *rationis*. De identitate *rei* non valet. Nam pater & mater quoad virtutem procreatricem sunt similes, & tamen quoad filium sunt idem, identitate *effectiva*.

V. Distinctio, quæ non habet *fundamentum* in re, *nulla* est.

Valet tantùm de distinctione *reali*, hoc sensu: nulla est, nisi præter *mentis* operationem ejus termini distinguantur.

VI. Quot modis sumitur *unum* oppositorum, tot modis & *alterum* (scil. plerumque.)

Valet regula præcipuè de vocibus *plura* significantibus, & quidem hoc sensu: Cum scire volumus, quot significationes *terminus* aliquis habeat,

habeat, colligere plerumq; illud poſſumus ex ſignificationibus *oppoſiti* termini. e. g. *Pater* dicitur vel ratione *generationis*, vel ratione *adoptionis*. Tot modis etiam dicitur *filius*.

VII. Oppoſitorum *eadem* eſt *ratio* & *diſciplina*.

Eadem ratio, qua *entis* ſc. 1. habent in uno atque altero *eandem* rationem ſ. *convenientiam*, ut *brutum* ſentit, E & homo; vel quatenus 2. ex cognitione *unius* oppoſiti *alterum* intelligitur, ut *morbus* conſiſtit in humorum *intemperie*. Ergo ſanitas in *temperie*. *Eadem diſciplina*, quatenus aliunde non eſt impedimentum, quod *duo* oppoſ. in *eadem* diſc. conſiderare prohibeat. Sic *Phyſica* quidem agit de corpore *ſimplici* & *miſto*, non vero de *ſpiritu*, qui eſt objectum *Pneumaticæ*.

VIII. Oppoſitorum *oppoſita* eſt *ratio*, ſeu *conſequentia*,

Ratio enim hìc ſumitur pro *conſequentia*. Valet regula 1. quando *attributa* ſunt *convertibilia* cum *ſubjecto*, & *neceſſario* cum ipſo *cohærent*. 2. Quando *oppoſita*, ad quæ ſequantur *alia* oppoſita, ſunt *paria*. 3. In iſtis *attributis*, quorum reſpectu *oppoſita* vocantur, & in quibus fit *oppoſitio*. 4. De *jure*, non ſemper de *facto*.

IX. *Posito uno* oppositorum, *negatur alterum.*

Valet 1. de *immediate* oppositis. 2. In *summo gradu.*

X. Negato *uno* oppositorum, non statim ponitur *alterum.*

Nisi in *contradictoriis* & *immediatis.*

CAPUT XIX.

DE *COMMUNICABILITATE* ET *INCOMMUNICABILITATE.*

PRÆCEPTA.

I. *Communicabilitas* est, qua ens *participare* potest.

Formalis ratio consistit in *participatione.* Hæc tam *active* quàm *passive* potest explicari vi *thematis* sui. Nam *participare* est vel *participem fieri*, vel *participem facere. Communicabilitatis* natura verò ut planior fiat, *comunnicatio*, ejusq; varii modi excutiendi sunt. Notetur ergo primum ejus

Ambiguitas.

II. Communicatio est vel *realis*, vel *non realis*; Et hæc vel *verbalis*, vel *intellectualis.*

§. 1. *Realis* proprie huc pertinet, & Th. IV. definietur.

§. 2. *Verbalis* est, quæ *nomine tenus* tantum *communicat*, & *nudum signum* oralis vel scripti *vocabuli commune* facit. Fit autem vel per *equivocationem*, ut cum vox *cancri* significat jam *animal* terrestre, jam *sidus* cœleste, jam *morbum*; vel 2. *per tropum*, ut cum *cognitio* in mente dicitur *generari*; vel 2. *honoris causa*, ut cum *Uxor* Imperatoris dicitur *Imperatrix* ab officio *mariti*; vel 4. *per fictionem*, ut cum *purgatorium* dicitur à Pontificiis *articulus fidei*.

§. 3. *Intellectualis* est, quam *intellectus* sibi format inter *illa* extrema, quæ non *realiter*, sed *ratione* tantum *differunt*, ut quando *genus* speciei, *species* individuo omnia sua *prædicata essentialia* communicat.

Formale.

III. Communicatio est *participatio*, quæ infert *communitatem* unius ad aliud.

Circa hanc descriptionem notentur.

1. *Extrema communicationis*; Hæc non semper sunt entia *realia*, sed interdum etiam *modi*.

2. *Natura communicationis*. Illam dicimus in *participatione* consistere, quæ in debita *ampliatione* spectata tam *activam* quam *passivam* significationem *communicationi* tribuit.

3. *Funda-*

3. *Fundamentum ejus.* Istud est *unio*: Nam nihil est capax *communicationis*, nisi accedat *unio*.

4. *Modus.* Communicatio fit vel quoad *possessionem*, vel quoad *usurpationem* tantum, qui duo *modi* sunt qua *summa* communicationis *genera*.

5. *Objectum* s. id *quod* communicatur.

Divisio.

IV. Communicatio (*realis*) alia est *existenti*: alia alicui *ut sit*.

Hanc distinctionem habet Scotus in lib. 1. dist. 5. q. 2. p. 27. Sed dicat quis: quod *nondum est*, quomodo potest ipsi aliquid *communicari*? R. Quidni? Causa *efficiens* influit omnino in illud, quod *nondum* est, *ut sit*, & sic *communicat* ipsi *existentiam*; unde *communicatio*, quæ fit alicui, *ut sit*, alio nomine etiam dicitur *effectiva*, procul dubio eam ob causam, quia causa efficiens *proxime* & *præcipue* talem largitur *communicationem*.

V. Communicatio, quæ fit *existenti* est vel *primaria* vel *secundaria*.

VI. Primaria est vel 1. inter *accidens* & *accidens*; vel 2. inter *substantiam* & *accidens*; vel 3. inter *substantiam* & *substantiam*.

VII. Communicatio inter *accidens* & *accidens* fit,

1. Quando

1. Quando *plura* accidentia in *uno* ſubjecto *uniuntur*, ut in *uno* homine *Philoſophia* & *Theologia*: in *una* anima *intellectus* & *voluntas*.

2. Quando *unum* accidens fit ſubjectum *quo* alterius accidentis, ut, cum *ſcientia* eſt in *intellectu*, *virtus* in *voluntate*.

3. Quando *accidens* ab *accidente* perficitur: E. g. In homine eſt *naturalis potentia* ad poëſin, *habitu* verò illi ſuperaddito *perficitur*.

4. Quando *accidens* accidentis *fundamentum* eſt, ut *quantitas*, *qualitas* &c. *relationis*.

IX. Communicatio inter *ſubſtantiam* & *accidens* fit, quando illud, quod *accidenti per ſe* ineſt, *participat* quoque *ſubſtantiâ*, cui inhæret *accidens*.

Sic quantitas ſuam *formalem* rationem, *extenſionem* ſcilicet, communicat *materiæ*, ut ex *iſta* ſit *extenſa*.

X. Communicatio inter *ſubſtantiam* & *ſubſtantiam* (conjunctas) contingit vel inter ſubſtantias *incompletas*, vel *completas*.

§. 1. *Illa* conſpicitur inter partes *eſſentiales*, v.g. *animam* & *corpus*, quia anima corpori *ſenſum*, *motum*, *vitam*, &c. communicat: Et *integrales*. e. g. cum *cerebrum* communicat *oculo* ſpiritus *animales*.

§. 2. In communicatione, quæ fit inter ſubſtantias

ſtantias *completas*, ſubſtantiæ vel *leviter cohærent*, ſc. per *nudum* contactum, ut cum res *odoratæ inodoratis* junctæ, *odorem* ipſis communicant; item, cum vinum *vitro*, quo continetur, *humiditatem* communicat: vel *intime ſe permeant*; ut *ignis* & *ferrum* in ferro ignito.

§. 3. Ex ſubſtantiis *incompletis* partes *eſſentiales*, & quædam *integrales*: Ex *completis* iſtæ, quæ *intimè* ſe *permeant*, celebrem illam ſibi vendicant *communicationem*, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur fieri καθ' ὅλων vel κατὰ συνδυασιν. Hæc quia præ reliquis *communicationum* ſpeciebus *eminet*, aliquanto altius ejus naturam examinabimus. Definitur autem ita:

XI. Communicatio κατὰ συνδυασιν eſt, qua propter *intimam* unionem proprium *unius* ſubſtantiæ *alteri* Subſtantiæ *eſſentialiter* quidem *diſtinctæ*, realiter tamen *conjunctæ*, verè & realiter communicatur, ad communem *poſſeſſionem*, *uſurpationem* & *denominationem* abſque tamen ſui *multiplicatione* aut *tranſfuſione*.

In

In hac definitione quinque sunt ponderanda.

§. I. *Extrema* communicationis, inter quæ comm. versatur, sunt *duæ substantiæ*, cum hac conditione, ut sint

1. *Essentialiter distinctæ*, id est, sint *diversæ* essentiæ, sive *completæ*, sive *incompletæ*, ut *sal & aqua*, *ferrum & ignis*, *corpus & anima*. Hac conditione *hæc* communicatio differt ab *intellectuali* (quæ alias communicatio κατὰ μίθεξιν dicitur.) In *hac* enim extrema ne *realiter* quidem, nedum *essentialiter* differunt exempli gratia, *corpus* communicat *animali* totam suam naturam; *hoc* tamen ab *illo* non *re*, sed sola *ratione* differt, in *majori* sc. & *minori* abstractione.

2. Si realiter *conjunctæ*. Hac conditione differt ab omni communicatione, quæ fit inter *separata*.

§. IV.

§. II. *Fundamentum* ergo hujus communicationis est *intima* extremotum *unio*. Unio autem sumitur vel in *statu*, vel in *actu* unitivo sc. qui *unitionem* significat.) *Hæc* respicit *unibilia*: *illa* verò *unita*. *Fundamentum* hujus commun, est quidem *unio* quoque in *actu* sumpta, sed *remotum*. *Proximum* ejus fundamentum est unio in *statu*, quæ unitionem præsupponit.

§. III. *Objectum*, s. id, *quod* communicatur, *proprium* est. Proprium autem, uti doctrina prædicabilium ostendit, juxta *Porphyrium* quatuor modis dicitur, ergo porro determinandum est. Nos præcipuè hic intelligimus proprium *quarti modi*, in quo omnia reliquorum modorum *veritates* concurrunt, ut *uni, soli, & semper* conveniat, & cum subjecto *reciprocetur*.

§. IV. *Modus* describitur in definitione, cum dicitur, quod fiat.

1. *Vere & realiter*. Hac particula opponitur hæc communicatio *verbali* & omnibus ejus *quasi speciebus*, de quibus Th. II. egimus. Non enim communicatur proprium *verbaliter*, *nominetenus*, & secundum *prædicationem tantum*, sed *realiter*, quia *vere* & *realiter* ipsa substantia, *cujus* est proprium, *communicatur*, dum cum altera *unitur*.

2. *Absque sui multiplicatione*. Hac particulâ opponitur ei, quæ fit κατ' ἀλλοίωσιν. Non enim *geminatur* statim *proprium*, quia *gemi-*

nam

sum adest *subjectum* certo modo; nam in *uno* subjecto, quod est πρῶτον ὑποκείμενον, est *per se*: in altero vero *per aliud*.

3. *Sine transfusione.* Hac particulâ opponitur ei, quæ fit κατὰ μετάβασιν Th. III. Non enim proprium in *hac comm.* deserit *suum subjectum*, & excurrit ad *aliud*; sed *inhæsive* manet semper in *suo subjecto*, uti hoc propriorum *natura* requirit: in altero tantum est *communicative*, cui una cum *suo* subjecto *communicatur*.

§. V. *Finis* communicationis exprimitur in definitione, cum dicitur, quo fiat.

1. *Ad communem possessionem.* Hic notandum est, quod alia sit possessio *communis*, qua e. g. totus homo possidet suum calorem, alia *propria*, qua v.g. ignis in corpore humano calorem possidet. Cum ergo proprium *communicatur*, istud, *cui* communicatur *communi possessione* etiam illud *habet* ac *possidet*. Quicquid enim alterius *totam essentiam* habet, illud *omnia essentialia consecutiva* simul habet. Ad *propriam* verò *possessionem* nulla *propria* communicantur, sed manent in *suo subjecto*.

2. *Ad usurpationem.* *Possessio communis* & *usurpatio* differunt in eo, quod *possessio* est *universalis*, omnia *alterius* substantiæ *propria* comprehendens. Dum enim *ipsum subjectum* propriorum *possidetur*, necessario etiam *mediante* hoc *subjecto* ea possidentur *omnia*, quæ ab

essentia

essentia ejus non possunt *separari*. *Usurpatio* vero est *particularis*, & restringitur ad *propria* (1.) *receptibilia*, quæ altera substantia *immediate recipere* potest, absque periculo veræ *contradictionis*. Hinc non *communicatur* corpori *spiritualitas* animæ. (2) *Operativa*, per quæ alterum subjectum *operari* potest: non *quiescentia*, quæ quasi in *sinu* sui subjecti *manent*. Hinc *ferro* non communicatur *levitas* & *raritas* ab *igne*. (3) *Ad finem unionis facientia*, id est, quæ ad *scopum* istum *conducunt*, propter quem *duæ* istæ *substantiæ* sunt *conjunctæ*. Hinc *corpori* ab *anima* non communicatur *invisibilitas*; anima enim ideo corpori juncta est, ut *mutua* sibi invicem præstent *officia* ad *communes* operationes obeundas, utpote auditionem, visionem, generationem, & hujusmodi plures, ad quas *invisibilitas* nihil confert.

3. *Ad denominationem*. Hæc sequitur *usurpationem*, non verò *possessionem*. E.g. Quia corpus *usurpare* potest facultatem *sentiendi* ab *anima* communicatam, propterea ab *ea* etiam denominatur in definitione animalis, Animal est corpus vivum sentiens. Non verò denominatur ab *immaterialitate* animæ, *immateriale*, (licet *communi possessione* etiam illam habeat) quia eam *usurpare* nullo modo potest.

XII. *Secundaria* communicatio est vel 1. inter *rem* & *modum*, vel 2. inter *modum* & *modum*.

XIII.

XIII. Communicatio inter *rem* & *modum* est, quâ *modus separabilis* determinat & *modificat* rem præexistentem.

Sic *unitas* communicat formæ *indivisionem* à materia, quamdiu ei *conjuncta* est.

XIV. Communicatio inter *modum* & *modum* est, quando *modi oppositi* unum *numero* ens *afficiunt*.

XV. *Incommunicabilitas* est, qua ens *participare non potest*.

Hæc quot modis contingat, ex divisione, communicationis facile intelligitur.

PROBLEMATA.

I. An propria vere communicari possint?

Affi. Quia communicatâ *essentiâ* communicantur *essentialia consequentia*, quæ ab *essentia* non possunt *separari*. Quamvis *quædam essentialia consequentia* communicentur tantum ad *communem possessionem*, unde non fit *denominatio*.

II. An communicato uno proprio communicentur omnia.

Dist. Omnia *communicantur* ad communem *possessionem*. Non *communicantur* omnia ad *usurpationem* & *denominationem*.

III. An singulare nullo modo sit communicabile.

Neg. Communicabile enim est *effective*, κατ' ἐνέργειαν &c. κατα μέθεξιν quidem non communicatur,

municatur, ad modum *universalium*; Sed haec communicatio est tantum *intellectualis*.

IV. An existentia & subsistentia sine essentia communicari possint?

Neg. *Existentia* enim est *ipsa essentia*. *Subsistentia* verò est *modus*, qui ne ad momentum quidem potest *permanere*, si â suâ *essentia* separetur.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *communicabile* vel *incommunicabile*.

II. *Proprium* cum *communicatur*, non desinit esse *proprium*.

Fit quidem κοινωνητὸν, non verò κοινὸν: *Communicatur* quidem, non tamen per modum *accidentis communis*.

III. Quæcunque *realiter idem* sunt, eorum *uno* communicato, communicatur & *alterum*.

§. 1. Sensus hujus regulæ limitatus hic est: Quando *duo* sunt *simpliciter idem*, & nulla plane adest *disparatio*, quam *mens* non *fingat*, tum communicato *uno* eorum communicatur & *alterum*.

CAPUT

CAPUT XX.

DE

NATURALI ET ARTIFICIALI.

Fuerunt hactenus *mediatæ* affectiones, quæ ex *unitate* resultant: sequitur jam ea, quæ ex *veritate* provenit, qua omne ens est vel *naturale* vel *artificiale*.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. *Naturale* opponitur 1. *supernaturali*. 2. *fortuito*. 3. *violento*. 4. *voluntario*. 5. *artificiali*.

Primo modo significat illud, quod est secundum communem *naturæ* cursum à causis *naturalibus*. *Secundo* quod frequenter & à causa *per se* fit: *Tertio* respicit *principium* motus *ab intra*, vel *ab extra* tale quid, quod *naturæ conveniens* est, eique vim non infert: *Quarto* innuit, aliquid non procedere ex *libero arbitrio*, sed inclinatione *solius naturæ*: *Quinto* notat tale, cujus *veritas* non ab *humano*, sed *divino* intellectu judicatur. In hac oppositione h. l. sumi-

tur, licet reliquæ acceptiones hic etiam non simpliciter removeantur.

II. Aliter naturale sumitur 1. *Constitutive*, 3. *Subjective*. 4. *Perfective*. 5. *Transitive*.

Constitutive sumptum significat illud, quod naturæ *dat esse*, ut *forma* & *materia*: *Consecutive*, quod ex essentia *per se fluit*, ut *risibilitas*: *Subjective*, quod naturæ *arctissime* est *infixum*, ut nonnullis *aversatio* felis & calei: *Perfective*, quod naturam *perficit*, ut ἐνεργεία: *Transitive*, quod cum natura in alios *propagatur*, ut *generositas* in *liberos*. Ex his nulla acceptio h.l. est *adæquata*. Prima & secunda sunt *nimis stricte*. Nam *spiritus* & accidentia *communia* etiam hic ad *naturale* spectant. Reliquæ sunt nimis *laxe*. Nam *subjective* etiam in *corpore* est *morbus*, qui *ens* non est, & propterea nec *naturale ens*. *Perfective* sæpe *artificiale* etiam afficit *naturam*. Sic multi à *natura inclinantur* ad poesin, *arte* tamen *perficiuntur*. *Transitive* jam *propagatur* etiam peccatum *originis*, quod itidem non est *ens*.

III. Prodest hic evolvere etiam ambiguitatem *naturæ*.

Natura sumitur 1. pro *ente*, quat. est *summum* ejus. 2. pro *Deo*, & dicitur *natura naturans*,

rans, quia Deus omnia *naturavit*, i. e. fecit. 3. Pro omni *creatura*, & dicitur *natura naturata*. 4. Pro omni eo, quod *describi* potest, ut cum explicamus etiam naturam *privationis*, *morbi*, *ratiocinationis* &c. 5. Pro *proprietate* & *inclinatione*. 6. Pro *temperamento*. 7. Pro *substantia*. 8. Pro *essentia* ex *materia* & *forma* composita. 9. Pro eo, quod *à nativitate inest*. 10. Pro *ultima differentia*. 11. Pro *essentia* personalitati *contradistincta*; quomodo credimus, in Christo esse *duas naturas*, & *unam personam*. Ex his acceptionibus etiam nulla hic ad nostrum scopum est *adæquata*.

IV. Distinguendi hic quoque sunt *termini* à *natura* derivati: *A*, *secundum*, *præter*, *contra*, & *supra* naturam esse.

A natura esse dicitur, quod *natura* vel statim *cum ortu*, vel *successu temporis* dat, vel ad quod *potentiam* aut *inclinationem* largitur.

Secundum naturam est, quod secundum *seriem* causarum *naturalium*, & *communem* naturæ *cursum* se habet, vel in quo servatur iste *modus*, qui naturæ *conveniens* est.

Præter naturam est, quod quidem *alio modo* se habet, quàm *natura* requirit, non tamen *simpliciter* cum natura *pugnat*.

Contra naturam est, quod naturæ *repugnat*.

Supra naturam est, quod *Deus* efficit in *creaturis*,

turis præter *consuetum* naturæ *ordinem*, absque creaturarum tamen *repugnantia*. Harum acceptonum etiam nulla nostro instituto est *adæquata*.

Formale.

V. *Naturale* est, cujus veritas *immediatè* æstimatur ex intellectu *Dei*.

Veritatis hic ideo fit mentio, quia hæc *affectio* ex *veritate* resultat. Ex hac descriptione patet, quod h. l. non tantùm *corpora* sint entia *naturalia*, sed etiam *spiritus* & *accidentia*, quia & eorum *veritas* judicatur ex *congruentia* cum intellectu *divino*. Imo ipse *Deus* hic est ens *naturale*, quia omnino suam veram essentiam *intelligit*.

Ambiguitas.

VI. *Artificiale* sumitur variis modis.

1. *Concretè*, quatenus notat tam *formam* artificialem, quàm *subjectum*, in quod *forma* introducta est. Hoc modo est ens *per accidens*. 2. *Abstractè*, pro *sola forma* artificiali. 3. *Materialiter*, pro *solo subjecto*, in quod agit *ars*, vel cui aliquid ab *arte* inductum est. 4. *Abusivè*, pro testimonio, quod in Logicis dicitur *argumentum inartificiale*. Secunda acceptio est hujus loci.

Formale.

Formale.

VII. *Artificiale* est, cujus veritas immediatè æstimatur ex intellectu *artificis.*

Artificiale refertur ad intellectum *artificis*, non quod non judicanda sit veritas ejus secundum *Dei* intellectum, qui solus est infallibilis, sed quia *proxime* respicit ideam in mente artificis existentem, licet *ultimo* ad intellectum *Dei* referatur. *Mediatum* ergo & *immediatum* in hac materia hoc vult, ut 1. *idea artificis* ad divinum intellectum examinata, vera sit, & 2. res *artificialis* huic ideæ exactè congruat.

PROBLEMA.

Quo sensu notitia Dei naturalis dicatur naturalis?

R. Non *constitutive*, nec *consecutive*, sed *subjective, perfective*, & præcipuè *transitive*, quia cum natura à parentibus in liberos propagatur.

AXIOMATA.

I. Omne ens vel *naturale*, vel *artificiale.*

II. *Ars* imitatur naturam.

Intellectus enim *humanus* similis cupit esse quodammodo *divino*, propterea homines res

artificiales efficiunt ad imitationem aliarum rerum à Deo productarum, & quo magis ars *naturam* habet pro fundamento, eo felicius operatur.

CAPUT. XXI.

DE

COMPLETO ET INCOMPLETO.

HOc attributum disjunctum ex *bonitate* derivatur.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Completum sumitur vel *nominaliter*, vel *participaliter*.

Hoc modo significat illud, quod à complente aliquo *completur*: *illo* notat omne, quod habet essentiam in se terminatam, ita h. l. sumitur.

II. Completi synonyma interdum habentur *consummatum*, *perfectum*, & *totum*.

Sed istæ acceptiones hic sunt impropriæ. Nam Deus est ens *completum*, non verò *consummatum*,

matum; nec *totum*; Forma est ens *perfectum*, non verè *completum*.

Formale.

III. Completum est, quod habet essentiam *in se terminatum*, & per se non ordinatur ad alterius *perfectionem*.

Descriptio duo habet membra: illa ipsa sunt duo *completi* requisita, unum *affirmativum*, alterum *negativum*. Esse *in se terminatum* non idem hic est, ut esse *finitum*: nam Dei essentia etiam est in se terminata, non tamen finita; sed significat esse absolutum à necessaria *essentiæ destinatione*, qua ordinatur ad aliud perficiendum.

IV. *Incompletum* est, quod non habet essentiam *in se terminatam*, & quod per se ordinatur ad alterius *perfectionem*.

Sic incompletum ens est omnis pars integralis in toto, & omnis pars essentialis sive in, sive extra totum.

PROBLEMATA.

I. *An* λόγῳ *sit ens incompletum?*

Neg. Quia non *per se* & *essentialiter* ordinatur ad humanam naturam.

II. *An Deus sit ens completum?*

Aff. Quia Deus habet essentiam *in* se terminatam, & essentialiter non destinatur ad perfectionem alterius.

III. An anima separata sit ens completum?

Neg. Quia naturali destinatione ordinatur ad esse corporis.

AXIOMA.

Ex duobus completis non fit *unum per se.*

Lim. 1. Si sint *diversæ naturæ.* 2. Si sint completa etiam *in subsistendo.* 3. Si maneant in statu *completo,* nec induant habitum *incompleti.*

CAPUT XXII.

DE PERMANENTE & SUCCESSIVO.

Ambiguitas.

I. Permanens sumitur vel *generaliter,* vel *specialiter,* vel *specialissimè.*

Generaliter sumptum formalem rationem *durationis*

durationis insinuat, & omni enti competit (tam *successivo* quàm *permanenti*) quia omne ens durat; *Specialiter* acceptum notat istud, quod totum suum esse *simul* habet, & sic successivo opponitur. Ita hoc loco sumitur. *Specialissimè* accipitur pro prorsus *immutabili*, & κατ' ἐξοχὴν soli Deo tribuitur, quo sensu Psal. 102. v. 27. de ipso dicitur: Cœli peribunt, tu autem permanes.

Formale.

II. *Permanens* est, quod non habet partes sui esse *fluentes*.

§. 1. Alii definiunt *affirmative*: quod habet totum suum esse, vel omnes partes sui esse, vel omnia, quæ ad esse requiruntur, *simul*. Verum felicius *negative* (uti etiam explicant) describitur, quia e. g. Deus etiam est ens permanens sensu Metaphysico, ipsi verò nec *totum*, nec *pars*, propriè competunt, nec possunt plura de eo statui, quæ ad esse ipsius requirantur.

Ambiguitas.

III. *Successio* est 1. vel *imaginaria*, vel *realis*. 2. vel in *ordine naturæ*, vel in *ordine temporis*. 3. *positiva*, vel *privativa*. *Positiva*, vel *discreta*, vel *continua* est.

Imaginaria concipitur per coexistentiam ad tempus. *Realia*, quæ non mente fingitur, sed revera datur. Quæ in *ordine naturæ* est, dicit prius & posterius naturâ. Quæ in *ordine temporis* est, dicit prius & posterius tempore. Fit autem sæpe, ut, quæ tempore *simul sunt*, succedant sibi invicem *ordine naturæ*, ut homo & risibilitas. *Positiva*, in qua omnia ea, intra quæ volvitur successio, sunt positiva. *Privativa* (rectius *negativa*) in qua sequuntur se invicem & non esse. *Diserta*, in qua ea, quæ succedunt sibi invicem, sunt entia totalia; ut cum homines in deductione funeris ordine *succedunt*. *Continua*, quæ datur inter partes ejusdem entis continuè cohærentes. In hac ambiguitate ad hoc caput propriè pertinet successio *realis* (licèt non omnis) ea, quæ est in *ordine temporis*, & *positiva continua*.

Formale.

IV. Successivum est, quod habet partes sui esse in *fluxu*.

§. 1. Intelligitur hic talis *fluxus*, qui dicit aliquid rei jam *esse*, aliquid *fuisse*, & aliquid *futurum esse*: item, qui ad esse rei fluentis spectat, ut cessante fluxu ens etiam esse cesset, qualis est fluxus *temporis* & *motus*. Aqua fluit intra ripas, sanguis fluit in venis, vinum effluit ex dolio &c. Sed hic *fluxus* ad esse rerum harum

non

non ſpectat, quia aqua, ſanguis, vinum manent, quod ſunt etiam ceſſante fluxu. Sunt ergo entia *permanentia*, quia totum ſuum eſſe quovis momento *ſimul* habent, & *fluxus* ipſorum ad eſſentiam non ſpectat.

§ 2. Genuina requiſita *entis ſucceſſivi* ſunt 1. ut habeant *partes*. quæ certo modo partes *eſſentiales* poſſunt vocari. Sic temporis partes ſunt momenta. 2. ut partes omnes *continuè* ſibi invicem ſuccedant, non contiguè. 3. Ut partes omnes non exiſtant *ſimul eodem momento*. 4. Ut *ſuccedant* ſibi invicem *prioritate* & *poſteritate* temporis.

PROBLEMATA.

I. An permanens ſit deſcribendum ex diuturnitate?

Neg. Nam multa non diu *durant*, & tamen *permanentia* ſunt, ſenſu Philoſophico. Dicimus ergo, quod termini philoſophici non ſint definiendi ex uſu philologico & vulgari.

II. An ens ſucceſſivum coexiſtat ſolum præſenti?

Aff. Sed non quoad omnes partes *ſimul*. Quædam enim *fuerunt*, quædam *ſunt*, quædam *futuræ ſunt*. Ens ſucceſſivum exiſtit quoad *partes*, quæ *præſenter* ſunt, ita tamen, ut hæ indiviſim

copulentur à priori & posteriori cum reliquis partibus, quæ etiam aliquando præsentes fuerunt vel erunt. Sed dixerit aliquis: *Ens actu* est objectum Metaphysicæ. Ast, quod fuit vel erit, non est *actu*. R. *Ens successivum* est *ens actu*, licet non quoad partes præteritas & futuras, si modo pars *præsens* semper adsit, quæ est pars quasi *formalis*, quia *priores* cum *posterioribus* copulat. Posset hæc res quodammodo adumbrari in rota, juxta quam auriga ambulat. *Æquali* motu *præsens* semper est rota pedibus aurigæ, sed non quoad omnes partes simul. Quoties pes terram calcat, toties rota illam quoque premit, sed jam hac, jam illa abside, ita ut semper quædam recesserint, quædam immineant, quæ per *vices* tamen & *successive* omnes aliquando pedibus præsentes sunt: ita ens *successivum* semper coexistit *præsenti*, sed non quoad omnes partes *simul*, licet omnes partes *distinctis vicibus* præsenti respondeant.

III. An motus sit ens successivum?

Aff. Sed non omnis. Communiter sex species *motus* statuuntur: *Generatio*, *Corruptio*, *Augmentatio*, *Diminutio*, *Alteratio*, & *Latio* s. motus localis. Ex his 4. ultimi motus sunt *successivi*, (si sc. *alteratio* ad qualitates reales restringatur) *Generatio* & *corruptio* enim fiunt in *instanti*, nec propriè motus dicuntur.

IV. Utrum

IV. Utrum tempus ſit ens ſucceſſivum?

Reſp. Sunt duæ quæſtiones. Primò quæritur, an *tempus* ſit ens? Neg. Eſt tantum entis *affectio* & *modus*, à quo jam *extrinſece* (uti in in Phyſica,) jam *intrinſece* (ut in Metaphyſica) denominatur. Secundò: an modus hic ſit *ſucceſſivus*? Aff. Si ſc. intelligatur tempus *phyſicum*, quod judicatur ex coexiſtentia ad motum cœleſtium corporum. Quia enim iſte modus eſt ens *ſucceſſivum*, ideo etiam duratio iſtius motus, à qua extrinſecè res naturales *menſurantur* & *denominantur*, eſt ſucceſſiva. *Metaphyſicum* verò tempus quod eſt talis duratio, quæ *initium* & *finem* importat) præſcindit à *permanente* & *ſucceſſivo*, & ad utrumque indifferenter ſe habet. Quoddam ergo *tempus Metaphyſicum* eſt *permanens*, ut duratio eſſentiæ hominis, leonis, Solis &c. Quoddam verò eſt *ſucceſſivum*, ut duratio motus hominis, leonis, Solis &c.

V. Num actio & paſſio ſint entia ſucceſſiva?

Aff Sed *particulariter*. Generatio eſt actio, fit tamen in inſtanti: illuminatio reſpectu ejus, quod illuminatur, eſt paſſio, abſq; ſucceſſione tamen fit. Proinde diſtinguendum eſt inter *actiones* & *paſſiones*, quæ fiunt cum *motu*, & quidem *ſucceſſivo*; & quæ fiunt ſine *motu*. Omnes iſtæ actiones & paſſiones ſunt *ſucceſſivæ*, quæ fiunt cum motu *ſucceſſivo*. AXI-

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *permanens*, vel *successivum*.

II. Ens *successivum* reperitur tantum in prædicamento *actionis* & *passionis*.

Reliqua prædicamenta mera continent *permanentia*. Non putandum autem, quod omne, quod in prædicamento *actionis* & *passionis* locum habet, sit ens successivum, nam dantur etiam actiones & passiones *permanentes*, uti ex præcedentibus patet.

III. Ad actualem existentiam entis successivi satis est, si pars præsens *actu* existat.

Reliquæ partes non debent *actu* simul adesse, quia alias esset ens *permanens*.

CAPUT XXIII.
DE
INDEFINITO ET DEFINITO.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas,

I. Definitum vel respicit *definitionem*, vel *ubietatem*.

Illo modo ens dicitur *definitum*, cuius essentia *oratione definitiva explicatur*. Sed hæc acceptio est Logica. *Hoc* modo definitum est, quod non est ubique.

II. Definitum (*quatenus respicit ubietatem*) sumitur vel *generaliter* vel *specialiter*.

Generaliter definitum esse dicitur, quicquid ita est alicubi, ut non sit *alibi*, quomodocunque etiam hoc fiat, sive per *localem circumscriptionem*, sive sine ea. Hæc acceptio est hujus loci. *Specialiter* definitum si sumitur, opponitur *circumscripto*, & sic excludit localem *circumscriptionem*.

Formale.

III. Definitum est, quod habet ubietatem *finitam*.

Quid sit *ubietas finita*, explicatur supra, ubi describitur per adessentiam *determinatam* Quicquid ergo ita est alicubi, ut *alibi* per naturam suam non sit, (uti omnis creatura) illud h.l. est *definitum*.

Divisio.

IV. Definitum est vel definitum *in specie*, vel *circumscriptum*.

Hi termini explicantur in capite de *ubietate*, in quo per enumerationem specierum via præparatur ad hanc affectionem disjunctam.

Nota,

Nota, quidam Metaphysici disjunctas affectiones *mediatas* statim addunt *unitis* istis, unde originem trahunt: e. g. *Unitati* statim subjungunt doctrinam de *simplici* & *composito*, *eodem* & *diverso*, *toto* & *parte* &c. Nos vero melioris doctrinæ ergo disjunctas peculiari tractatu tradimus, ad memoriam juvandam & confusionem evitandam.

Ambiguitas.

V. Indefinitum sumitur vel *complexè* vel *incomplexè*.

Complexè sumptum notat propositionem, cui non est additum *signum quantitatis*, de qua Logici. *Incomplexè* notat ens, quod non ad *certum ubi* est determinatum.

Formale.

VI. Indefinitum est, quod habet ubietatem *infinitam*.

Tale ens est solus Deus. Hujus enim adessentia est *interminabilis*, non tantum quoad *terminum actualem*, quod non sit terminata, sed etiam *potentialem*, qui nullo modo potest terminari.

PROBLEMATA.

I. An humana Christi natura sit ens indefinitum?

Neg. Ens enim verè indefinitum ita est *ubi-*

qui,

que, ut non possit non esse ubique, & quidem *naturâ* suâ & *essentialiter*. Humanitas Christi vero naturâ suâ & essentialiter non est ubique.

II *An ens definitum possit fieri indefinitum?*

Neg. Nam *indefinitum* notat solum Deum. Nulla autem *creatura* potest essentialiter fieri *Deus*.

AXIOMA.

Omne ens est vel *definitum* vel *indefinitum*.

Immediatè enim sibi opponuntur adessentia: in *ubi* determinabilis & indeterminabilis (s. non determinabilis.)

CAPUT XXIV.

DE *SUBJECTO & ADJUNCTO.*

Absolutæ hactenus sunt affectiones entis disjunctæ *primariæ*, tùm *immediatæ*, tùm *mediatæ*; sequuntur jam *secundariæ*, utpote *Subjectum* & *Adjunctum*, *Absolutum* & *Respectivum*, *Mensura* & *Mensuratum*, *Signum* & *Signatum*. Sint ergo de *Subjecto* & *Adjuncto*

PRÆ-

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Subjectum sumitur vel *philologicè*, vel *philosophicè*, & hoc modo sumptum opponitur vel *prædicato*, vel *Adjuncto*, vel ei, quod *circa aliquid occupatur*.

Philologicè sumptum notat *subditum*, quomodo Oratores & Poëtæ hunc terminum usurpant. Quando *prædicato* opponitur, est *juxta* ordinem Logicorum *pars propositionis prior*, & dicitur subjectum *prædicationis*. Cum *adjuncto* opponitur, denotat ens, quod præter suam essentiam aliquid in se recipit, & dicitur subiectum *attributionis*. Ita accipitur h.l. Cum verò opponitur ei, quod circa aliquid *occupatur*, notat obiectum, quod alio nomine dicitur subjectum *occupationis*, *considerationis*, *vel tractationis*.

II. Subjectum occupationis s. obiectum est, circa quod *occupatur* aliquid.

Objectum quidem æquivocè tantum huc spectat; attamen, ut paucis ejus doctrinam hic explicemus, ratio hæc est: Quia commodior locus in receptis hactenus effectionibus non occurrit. Necessarium omnino est *objecti* naturam scire, quia multoties in philosophia ejus fit mentio: Ergo in aliqua disciplina de eo ex

ex professo agendum est. Dices: agit de eo Intelligentia & Gnostologia. Resp: ibi agitur tantum de *objecto* disciplinarum & nostræ cognitionis; Dantur verò alia adhuc *objecta*: *lux* & *calor* sunt objectum visus, etiam in brutis: *ferrum* est objectum magnetis: *terra* est objectum Solis illuminans: *succus* certus est objectum plantæ attrahentis, *centrum* terræ est objectum gravium, *&c.* Ergo generalior tractatio alicubi instituenda est, Dicis: Esset introducenda peculiaris *affectio disjuncta*, qua omne ens diceretur aliquo modo *occupabile*, alio modo *inoccupabile*, vel aliter. Resp. Hoc non est de nihilo. Quia vero alii Metaphysici in hoc capite de *objecto* agunt, & de innovatione, licet proficuâ, non æquè omnes judicent, nos hic etiam naturam *objecti* paucis explicamus. Definitio jam data est: sequitur divisio.

III. Objectum est vel *adæquatum* vel *inadæquatum*.

Illud est, quod *æque* late patet cum occupante: Hoc, quod *angustius* vel *latius* est suo occupante: i. e. eo, quod circa illud versatur:

Adæquatum objectum solet etiam dici *totale* & *proprium*: *inadæquatum partiale* & *commune*. Sic *totale* & *adæqu.* obiectum physicæ est

corpus

corpus naturale: *partiale* cœlum, homo, aer &c. Huc pertinet distinctio obiecti in obiectum *adæquationis* & *perfectionis Adæquationis* jam descriptum est. *Perfectionis* est nobilissimum in obiecto totali. Sic homo est obiectum *physicæ perfectionis*, quia inter corpora summam obtinet nobilitatem. Sic Deus est obiectum *perfectionis Pneumaticæ*, quia inter spiritus infinitis modis eminet.

IV. Obiectum est vel *per se*, vel *per accidens*.

Illud est, circa quod occupans *per se* versatur. Hoc, circa quod *per accidens* aliquid occupatur. Sic objectum voluntatis *per se* est bonum, *per accidens* malum. Objectum plantæ *per se* est succus naturæ ipsius conveniens, *per accidens* disconveniens. Cum enim non invenit idoneum nutrimentum, attrahit, interim nocivum, licet tandem exinde arescat.

Formale Subjecti.

V. Subjectum est ens, cui aliquid est, quod non ingreditur ejus essentiam.

§. 1. *Subjectum est ens.* Non ens, sicut fingitur, esse ita etiam aliquando fingitur esse *subiectum*; In re verò non est *subiectum*.

§. 2. Non restringimus *subiectum* ad *substantiam*, quia *accidens* etiam interdum est *subiectum*;

ctum; ut: *Intellectus* est *accidens* animæ, est autem *subjectum* scientiæ. *Subjectum* ergo potest esse tam *substantia*, quam *accidens*.

§. 3. Per *aliquid* hic non stricte *peculiare* ens intelligitur, sed *latior conceptus*, qui tam enti, quam entis modis competere potest. Sive ergo sit *substantia*, (ut concionator respectu cathedræ) sive *accidens*, tam extrinsecùs quam intrinsecùs *subjectum* afficiens, (ut intellectus & habitus respectu hominis) sive *modus* (ut unitas respectu entis) *adjuncti* nomine venire potest. Sed dicis: hæc ampla acceptio ñ *aliquid* est impropria, quia *aliquid* est synonymum entis p. 54. *Modus* autem non est ens. R. Sicut *ens* improprie ampliatur, ut denotet ens *reale* & *modale* p. 10. 12. ita etiam eius synonymum *aliquid*, idque propter defectum vocabulorum.

Divisio.

VI. 1. Subiectum est vel *Quo* vel *Quod*.

VII. *Subiectum Quo* est, quo interveniente *adjunctum* jungitur *subjecto Quod* s. *fundamentali*. Et est interdum vel *mediatum* vel *immediatum*.

Dicitur aliàs Subiectum *partiale*, & in plerisque exemplis subiectum *informationis*.

VIII.

VIII. Subjectum *Quod* est, quod *ultimatè & fundamentaliter* sustinet adjunctum.

Dicitur alias subiectum *totale*: item *denominationis*, quia hoc præcipue ab adiuncto *denominatur*. Exempla: Johannes est subiectum *Quod* vestimenti: superficies corporis est sub. *Quo*. Socrates est subjectum *Quod* sapientiæ, iste enim à sapientiâ suâ denominatur sapiens: anima ejus est subjectum *Quo mediatum*: intellectus subjectum *Quo immediatum*.

IX. 2: Subjectum est vel *adæquatum* vel *inadæquatum*.

§. 1. *Adæquatum* est, quod cum adjuncto *reciprocatur* & æque late patet. Dicitur etiam subj. *proprium universale*, πρῶτον δεκτικὸν; ut homo respectu risibilitatis, ens respectu unitatis, ver. bon. &c. Corpus ratione quantitatis.

§. 2. *Inadæquatum* est, quod non æque late patet, sed est *angustius* adjuncto. Dicitur etiam *commune, particulare*, ut cœlum respectu quantitatis: homo respectu sensus.

§. 3. Porrò inadæquatum est vel *primarium*, cui primariò & καθ' ἑξοχὴν adjunctum convenit; Vel secundarium. Sic Deus est primarium subjectum veritatis, sapientiæ, bonitatis &c. Creatura secundarium.

X. 3. Subjectum est vel *absolutum* vel *limitatum.*

Absolutum, quod *simpliciter* absque ulla restrictione à suo adjuncto denominatur; ut corpus respectu quantitatis. *Limitatum*, quod cum *restrictione* ab adjuncto appellatur, ut homo respectu immortalitatis, quæ ei post lapsum tantum *secundum animam* competit.

XI. 4. Subjectum est vel *per se* vel *per accidens.*

Sic homo *per se* est subjectum virtutum, *per accidens* vero vitiorum.

Formale adjuncti.

XII. *Adjunctum* est, quod alicui ita additum est, ut non ingrediatur ejus essentiam.

Hæc definitio intelligitur satis ex iis, quæ circa def. Subjecti dicta sunt.

Divisio.

XIII. 1. Adjunctum est vel ex *substantiarum*, vel *accidentium*, vel *modorum* genere. Th. 5. §. 3.

Ex genere substantiarum etiam dantur adjuncta. Talia sunt, e.g. aurum in poculo deaurato: ligna respectu portantis: &c.

XIV. Adjuncta ex accidentium & modorum genere sunt vel *propria*, vel *communia*. Et illa vel *simplicia*, vel *conjuncta*.

Proprium

Proprium Adjunctum est, quod ordinariè *omni* (individuo,) *soli* (speciei) & *semper* additum est, & ita quidem, ut conveniat ipsi *primo* (non secundariò, uti calor aquæ,) *per se* & *necessariò*, (non per aliud, nec per accidens & contingenter) & *adæquatè* (ut cum subjecto reciprocari possit) e.g. calor est proprium ignis, risibilitas hominis, (actus ridendi potius est effectus, quam prop. adj. hominis (æternitas Dei, duratio entis, quantitas corporis &c.

§. 2. Particulæ illæ: *omni individuo*, & *soli speciei*, intelligendæ sunt de istis subjectis, quorum plura individua dant *speciem*, vel quasi *speciem*. Nam Deus etiam est subjectum suorum *propriorum*, non tamen plures. Dii dant unam speciem.

§. 3. Proprium est vel *simplex*, quod *simpliciter* subjecto competit; ut calor in igne; vel *conjunctum*, quod *conjunctim* subjecto universali adjungitur & disjunctim ad inferiora distribuitur, quomodo ens est vel finitum vel infinitum.

§. 4. *Commune* est, quod cum subjecto non reciprocatur, & quod *pluribus* subjectis specie vel quasi specie diversis *æqualiter* junctum est, ita scilicet, ut non uni *primò* & *per se*, alteri *secundariò* & *per aliud* competat: Item quod subiectum *contingenter* afficit. Sic adiuncta communia sunt: albedo, eruditio, nobilitas

&c.

&c. ex accidentium genere: Contractio, exporrectio (manus, pedis, frontis, cervicis &c.) ex modorum genere.

XV. 2. Adiunctum (in genere) est vel *separabile*, quod naturaliter re ipsâ à subiecto *separari* potest: Vel *inseparabile*, quod naturaliter reipsa à subjecto *non potest separari*.

§. 1. Porphyrius Instit. c. 5. tantum accidens commune distinguit in *separabile* & *inseparabile*. Non verò hanc distinctionem tribuimus omni adiuncto in genere, sive sit *substantia*, sive *accidens*, sive *modus*, sive adj. *proprium* sive *commune*: Quia Philosophia nostra à Porphyrii tempore crevit & ampliata est ex exemplorum ampliatione. Variatâ habitudine exemplorum varianda quoque præcepta sunt, quæ ex exemplis fiunt.

§. 2. Hæc divisio verò non restringenda in suis membris est ad priorum divisionum membra, quasi e. g. *proprium* sit *inseparabile*, *commune* verò *separabile*, nam dantur etiam *communia inseparabilia*, ut cavitas venarum & intestinorum, quantitas hominis *&c.* Sed à summo iterum incipiendum, & adjunctum *in genere spectatum* de novo ad inferiora *confusè jacentia* est distribuendum: Sic omne adj. est vel *separ.* vel *inseparabile*. Similem modum habemus

habemus in divisione *potentiæ*, quæ primum dividitur in *activam* & *passivam*, & deinde denovo ab activa & passiva præcisa in *rationalem* & *irrationalem*.

§. 3. Restringimus autem *separabile* & *inseparabile* ad *naturalem* rerum habitudinem, partim, quia *usus* hos terminos ita limitat, partim etiam, quia *recepta definitio* proprii hoc postulat. Licet enim propria quædam *potentia Dei absoluta* possint, à subjectis suis separari, tamen definitur proprium, quod *semper* adsit, hoc est *inseparabiliter*, secundum *naturalem constitutionem* scilicet. Quamvis ergo quædam *extraordinariè* separari possint, *ordinarie* tamen nihilominus dicuntur inseparabilia.

§. 4. Dicuntur etiam, quod *reipsa* debeant separari vel non separari posse. Hac voce removemus *mentalem* separationem, quæ alias vocatur *abstractio*, & est consideratio unius relicto alio, quod ipsi de facto est conjunctum. Nam propterea res non statim separabilis dicenda est, quia *mens* separationem fingere potest.

PROBLE-

PROBLEMATA.

I. An subjectum & adjunctum semper distinguantur realiter?

Neg. Dantur enim adjuncta, quæ non differunt à subjectis suis, ut *res* à *re*, vel *modus* separabilis à re, unde sequitur, quod non differant *realiter*. Talia sunt affectiones entis absolutè inseparabiles, unitas, ver. bon. &c. Talia etiam sunt attributa Dei, quæ in re ipsa sunt ipse Deus. Non enim concedimus Photinianis, quod in *Deo* revera sint *accidentia*, ab essentia ejus *realiter* distincta. Ista attributa verò sunt *adjuncta* Dei secundùm phrasin Scripturæ, non quidem *realiter*, quasi reipsa Dei essentiæ aliquid additum sit, *conceptibiliter* tamen, & *formaliter*. Dicitur tamen à Justitia *justus*, à misericordia *misericors*, à potentia *potens* &c. Scriptura autem loquitur item eam ob causam, ut succurratur imbecillitati nostri intellectus, qui non omnia, quæ alias sunt ipsa simplicissima Dei essentia, potest uno conceptu adæquatè & distinctè apprehendere, sed distinguit more in creaturis usitato essentiâ quasi ab istis, quæ secundùm nostrum concipiendi modum *consequuntur* essentiam. Idcirco distinctum format conceptum de *subjecto*, & distinctum de

adjuncto. Sed dicis: Ita peccatur in naturam affectionum entis, quæ sunt reales, & competunt enti præter mentis nostræ operationem. Resp. 1. In genere, quod subjectum & adjunctum constituant affectionem disjunctam *secundariam.* Secundariæ verò non sunt ita puræ ab operatione mentis, ut primariæ; sed interdum *denominatio* in iis magis fit à dispositione intellectus. 2. In specie, quod mens non plane *fingat* hic distinctionem inter subjectum & adjunctum, sed quod scriptura ei *fundamentum* præbeat, dum attributa varia per modum *adjunctorum* de Deo enunciat. Licèt ergo non subsit fundamentum *rei,* quia in Deo nil est, quod non sit Deus ipse; subest tamen fundamentum *revelationis* ad captum nostrum directæ, quod tantum realitatis omnino habet, ut possit dare affectionem realem *secundariam.*

II. An propria possint à suis subjectis separari?

Status controversiæ hic est: *An adjunctum proprium* (sive sit ex accidentium sive ex modorum genere) *ad modum actus primi consideratum,*) nam actus *secundus* effecti potius, quàm adjuncti rationem habet) *reali* (non mentali) *separatione* (sive sit mutua sive non mutua) *possit à suo subjecto separari.* Resp. per distinctiones. 1. Distinguendum est inter *propria* ea, quæ *realiter*

liter à subjecto *differunt*, & ea, quæ *non realiter ab illo distinguuntur*. 2. Distinguendum est inter id, quod fieri potest per potentiam Dei *absolutam*, & illud, quod potest fieri juxta ordinem *in natura institutum*. His distinctionibus præsuppositis, dicimus, (1) quod *propria, quæ non realiter à subjectis distinguuntur, nullo modo possint à subjectis separari*. Ratio hæc est, quia talia propria in re sunt ipsum *subjectum*, quod sub inadæquato conceptu menti repræsentant. Nihil vero potest à seipso *separari*, & si posset aliquid à seipso *separari*, non esset sanè idem ipsum, sed realiter differret à seipso, quod planè contradictorium est, quia idem esset simul & non esset. (2.) Ea vero *propria, quæ realiter à subjectis differunt, potentiâ Dei absolutâ ab istis possunt separari*, licet per *naturam* sejungi non possint, sed *necessario* & *semper* ipsis juncta sint. Quidni enim Deus possit influxum conservativum essentiæ *subiecti* largiri, eum verò retrahere & suspendere in ordine ad emanationem *proprii*. Sicut copulavit in creatione rerum adiuncta propria cum subiectis, ita nexum hunc iterum potest dissolvere.

III. An substantiæ possint esse adiuncta?

Aff. Tinctus ligni, Gypsum parietis, aurum poculi deaurati, materia vestimenti, hominis *adiunctum* est. Talia autem substantiæ sunt.

Propterea Th. V. dictum est, quod adjunctum in debita sua amplitudine etiam *substantiam* complectatur.

IV. Num accidentia possint esse subiecta?

Aff. Subiectum *Quod* quidem juxta ordinem naturæ esse non possunt, (absolutâ Dei potentiâ fortasse possunt) sed subiectum *Quo* frequenter sunt. Physica, Metaphysica &c. non sunt in anima nostra *immediatè*, sed *mediante* intellectu, qui in hoc negotio subiectum *Quo* est.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *subiectum*, vel *adiunctum*.

II. Subiectum & adiunctum non *necessario* differunt *realiter*.

Deus e.g. est *subiectum* suorum attributorum, à quibus realiter non differt. vid. Q. 1.

III. *Proprium* unius non potest esse *proprium* alterius.

Nam proprium *uni soli* competit; Ergo non competit pluribus, hoc est, non *uni soli*.

IV. *Receptivum* non recipit ad modum *impri-mentis*, sed ad modum *receptivitatis* suæ.

Sunt verba Scaligeri Exerc. 36. f. 2; Hoc autem

tem volunt: Cum subiectum aliquid *recipit*, secundum suam *aptitudinem* recipiendi recipit, adeo ut, licet agens omni conatu *imprimat*, non fiat *receptio*, nisi subiectum sit aptum recipere. Sic brutum non potest fieri eruditum, licet diligentissime instituatur, quia non est docile.

V. Unum numero *accidens* non potest esse in diversis numero subiectis.

Regulæ sensus limitatus hic est: Unum accidens singulare *simplex* non potest esse *simul* in realiter diversis subiectis *non subordinatis*. Dico 1. *simplex*; nam si accidens sit *aggregatum* aliquod vel *compositum* ex diversis partibus, potest secundum aliquid sui in hoc, secundum aliquid in alio subiecto, coniuncto tamen, esse. Sic *fides* quoad notitiam & assensum est in *intellectu*, quoad fiduciam in *voluntate*. Dico 2. *simul*; nam *successivè* unum numero accidens potest esse in diversis subiectis non subordinatis. e. g. Cum in literato per lucubrationes Spiritus subinde absumuntur, & cibis somnòque reficiuntur, species in mente non toties delentur, sed propagantur de spiritu in spiritum. Dico 3. *non subordinatis*; nam cum sunt subiecta *subordinata*, ita ut unum sit subj. *Quod*, alterum *Quo*; unum *mediatum*, alterum *immediatum*, potest unum numero accidens in diversis subj. esse simul, ut cum dicitur scientia esse in homine, in anima, & in intellectu.

CAPUT VII.

DE *ABSOLVTO ET RESPECTIVO.*

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Absolutum opponitur vel *inchoato*, vel π *secundum quid*, vel *respectivo*.

Quatenus *inchoato* opponitur, significat *consummatum* & ad finem dictum, ut cum domus tandem quoad exstructionē absolvitur. Quando π *secundum quid* opponitur, idem est, quod *simpliciter* tale, & cui nihil de oppositō admistum est, quomodo Deus dicitur *absolute* & simpliciter incorruptibilis, angelus *secundum quid* incorruptibilis. Quando vero *respectivo* opponitur, denotat ens, quod non habet *respectum* aliorsum. Ita h. l. accipitur.

II. Absolutum (*quatenus opponitur respectivo*) est vel *positive*, vel *negative* tale.

Positivè sumptum contradistinguitur ei, quod positivè est *respectivum*. Ita hoc loco sumitur, & denotat ens cum affectione scil. modo inexpressiore

expressiore statu. *Negative* absolutum dicitur ens in præcisione & summa abstractione, antequam distinguatur in absolutum (positivè) & respectivum; ita enim se indifferenter ad utrumque habet, & *ab* hac disjunctione quasi *solutum* est.

Formale.

III. Absolutum est aliquid, quatenus non habet *respectum* ad aliud.

Absolutum dicitur quasi *ab* alio *solutum*, quia liberum est respectu ad aliud, si non omni modo, saltem aliquâ ratione; quapropter etiam in descriptione addimus restrictivam particulam *quatenus*. Removetur autem per *absolutum* quivis respectus, sive sit prædicamentalis, sive transcendentalis, quia uterque rem aliorsum trahit. Sic Deus est absolutus à causa, quia nihil ad eius esse dedit influxum.

Divisio.

IV. Absolutum aliquid est vel *primariò*, vel *secundariò*.

Primariò absolutum est aliquid, quatenus non habet respectum *prædicamentalem* ad aliud. Sic potentia audiendi est ens absolutum *primariò*, non, quod planè nullum admittat re-

ſpectum, reſpicit enim relatione tranſcendentali actum audiendi, ut & ſonum, tanquam ſuum obiectum, unde etiam non eſt *ſecundariò* abſolutum; Sed quia non habet reſpectum *predicamentalem*, tanquam famoſiorem, cuius naturam in parte ſpeciali declarabimus.

Secundariò abſolutum aliquid eſt, quatenus non habet aliquem reſpectum *tranſcendentalem*. Sic quantitas eſt abſoluta à reſpectu ad obiectum. Deus (qui etiam primariò abſolutus eſt) non admittit reſpectum ad cauſam, nec reſpectum totius & partis.

V. *Reſpectivum* aliquid eſt, quatenus habet reſpectum ad aliud.

Hæc definitio ut rectè intelligatur, evolvenda eſt natura reſpectus in abſtracto.

Formale.

VI. Reſpectus eſt modus, quo res aliorſum terminatur.

Synonyma ſunt: *reſpectus*, *relatio*, & πρός τι, ſeu *ad aliquid*, ſi ſc. πρός τι abſtracte ſumatur, nam aliàs etiam concretè pro reſpectivo accipitur. Quocunque autem nomine reſpectus dicatur, ſemper terminum infert, quod clarè oſtendit vox *ad aliquid*: nam *ad* reſpectum denotat, unde relatorum natura dicitur ESSE AD

A D; *aliquid* verò *respectum* terminat. Sive autem illud, ad quod *respectus* terminatur, jam detur in rerum natura, sive nondum detur, perinde est; nam e. g. causa respicit etiam causatum futurum, potentia videndi respicit actum visionis, licet eo ipso non fiat: Mathematicus habet respectum ad Eclipsin post 10. annos demum futuram.

Distinct. nominales.

VII. Respectus seu relatio est vel *realis*, vel *rationis*. Item vel *secundum dici*, vel *secundum esse*.

Realis est, quando præter mentis *fictionem* revera inter quædam datur habitudo, quomodo potentia ad actum, adiunctum ad subj. refertur. Respectus *rationis* est, quando habitudo ad terminum per *fictionem* mentis exsurgit, ut cum idem eodem planè modo ad seipsum refertur, cum genus ad speciem, species ad individuum respectum habet &c.

Relatio *secundum dici* est, quæ nec *realis* habitudo est, imo nec *realis* habitudinis similitudinem, sed ejus solum nomen habet, ut si dicatur, rem cognitam habere respectum ad cognoscentem. Relatio *secundum esse* est, quæ est, quod dicitur.

Divisio.

VIII. Respectus *(realis & secundum esse)* est vel *Subsistens*, vel *Transcendentalis*, vel *Praedicamentalis*.

Respectus s. relatio subsistens est inter Personas SS. Trinitatis, quæ modo planè singulari realem respectum ad se invicem habent. Dicitur alias *relatio substantialis, personalis, & infinita. Respectus s. relatio transcendentalis & prædicamentalis*, quomodo differant, & quid utraque formaliter sit, in parte speciali, cap. de relatione explicabo.

PROBLEMATA.

I. An sit relatio rationis, cum ratio per cognitionem ad aliquod ens respectum habet?

Neg. Sicut enim istud non statim est ens *rationis*, quod *ratio* habet: & cujus subiectum est, quia ita disciplinæ etiam essent entia rationis: ita etiam ista *relatio* non statim in usu loquendi Philosophico est *rationis*, quam *ratio* ad aliquid habet; sed requiritur, ut habitudo ad terminum planè à *ratione* ficta sit. Mentis autem relatio ad ens cognitum non est *ficta*, sed *vera*; vera enim in cognoscendo (dummodo rectè cognoscat à re cognita *mensuratur*, ejusque *speciem* in se recipit. *II.*

II. Num ens respectivum indifferenter se habeat ad relata prædicamentalia & transcendentalia?

Aff. Quia respectus prædicamentalis & transcendentalis conveniunt (non *quoad nomen* tantum, sed etiam *quoad rem*) in præciso conceptu respectus ut sic sumpti. Respectus enim in abstractâ naturâ consideratus est *modus*, quo res aliorsum terminatur, Th. VI. Hoc *formale* potest tam prædicamentali quàm transcendentali applicari, quia secundùm utrumq; ens aliorsum refertur.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *absolutum*, vel *respectivum*.

II. Nullum ens datur, quod non aliquo modo sit *respectivum*.

Regulæ veritas statim elucescit, si modo unicam istam disjunctionem entium consideramus, qua segregantur in *creatum* & *increatum*. Omne creatum ad minimum habet respectum *effectus* ad suam *causam*, quia ab ente increato certo modo productum est. Ens increatum, Deus scil. ad omnes suas creaturas habet respectum *causæ* ad *effectum*.

III. Respectus, qua talis, *non componit*.

Quia

Quia non est ens, sed tantum *modus* entis. Ad compositionem autem requiruntur plura entia. Hinc regula: Modus non *componit*, sed *distinguit*.

CAPUT XXVI.
DE
SIGNO ET SIGNATO.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

1. *Signum* notat vel *constellationem*, vel *prodigium*, vel *vexillum militare*, vel *rem ipsam intransitive*, vel *indicium cognoscendi*.

Constellationes in Astronomia dicuntur signa, unde Zodiacus *signifer* dicitur, quia 12 *signa* obliquo suo ambitu complectitur. In sacra Scriptura *prodigia* quandoq; dicuntur *signa*, ut Luc. XXI. 25. Act. II. 19. VI. 8. Joh. IV. 54. &c. Signa militaria sunt *vexilla*, à quibus *signifer* dicitur persona, quæ ea portat. Aliquando per constructionē intransitivam signum *ipsam rem* notat (non rei *notam*) Sic Rom. IV. 11. signum circumcisionis denotat ipsam *circumcisionem*

sumem: Mat. XII. signum Jonæ ipsum Jonam. Præcipua verò significatio *signi* est, quando accipitur pro eo, quod principio cognitionis aliquid *repræsentat*. Ita h.l. sumitur.

Formale.

II. Signum est, quod potentiæ cognoscendi aliquid *repræsentat*.

§. 1. Per *potentiam cognoscentem* intelligimus non tantum sensum, sed & intellectum. Primitùs proculdubio vox *signi* imposita est *notis* istis tantum, quæ *sub sensum* cadunt; crescente verò Philosophia ampliatus est terminus, ut competat istis etiam *signis*, quæ non nisi ab intellectu cognosci possunt.

§. 2. Importat autem *signum* duplicem respectum: unum ad *facultatem cognoscentem*, cujus cognitionem ad rem signatam quasi *dirigit*: alterum ad *rem signatam*, quam facultati cognoscenti idealiter præsentem sistit.

§. 3. Accidit verò sæpe, ut *signum* fiat *signatum*, & contra. E.g. Quando ex *fumo* ignem adesse colligimus fumus *signum* est; *Signatum* autem fit, si incipimus ipsius fumi naturam, materiam &c. contemplari, quod facimus beneficio specierum sensibilium & intelligibilium, quæ fumi *signa* sunt, eumque menti nostræ repræsentant, etiamsi non amplius adsit.

§. 4. Vox *repræsentat* in definitione non restringenda

ſtringenda eſt ad ſolum *actum* repræſentandi, quaſi ad formale *ſigni* pertineat *actu* repræſentare *ſignatum* potentiæ cognoſcenti. Nam limites, arbores, pali &c. quibus agri & prata diſcernuntur, poſtquam in *ſignum* poſita ſunt, vel ratio *ſigni* ipſis addita eſt, ſemper ſunt *ſigna* finium, licet interdum per multos dies & menſes nemo accedat, qui *actu* exinde terminos cognoſcat. Proinde indifferenter ſe habet ſignum ad *potentiam & actum*, ut ſignum ſit, quod aliquid vel actu *repræſentat*, vel *repræſentare poteſt*.

Diviſio.

III. 1. Signum eſt vel *notificans*, vel *commonefaciens*, vel *obſignans*. Notificans eſt vel *neceſſarium* vel *contingens*.

Notificans alio nomine *nota* dictum eſt, quod rem ignotam indicat & *notam facit*, ut hedera venale vinum. Eſt vero duplex: *Neceſſarium*, Græcis præcipue τεκμήριον dictum, eſt, quod rem *infallibiliter* notificat. Hujus *notæ infallibilis* requiſitum hoc eſt: ut *uni & ſoli notato ſemper conveniat*; eſt enim ſignum *proprium*, non *commune*. Quod pluribus *commune eſt*, illud non poteſt unum quid infallibiliter indicare. Sic infallibiles notæ veræ Eccleſiæ ſunt pura verbi prædicatio & legitimus uſus ſacramentorum.

Contingens

Contingens est, quod *contingenter, probabiliter & per verisimilitudinem* tantum aliquid indicat, ut cum pallor dicitur signum studii, lac signum partus: Græcis dicitur εἰκὸς i. e. verisimile, probabile.

Commonefaciens est, quod notitiam rei cognitæ *conservat & renovat.* Gr. μνημόσυνον; ut literæ commonefactoriæ.

Obsignans signum est, quod rem cognitam *obsignat & confirmat.* Gr. σφραγὶς i. e. sigillum. Sic circumcisio Abrahamo erat sigillum justitiæ fidei *Rom.* 4. 11.

IV. 2. Signum est vel *significativum* vel *exhibitivum*; Gr. σημαντικὸν vel μεταδοτικὸν.

Sunt, qui hanc distinctionem rejiciunt, ideò, quia omne *exhibitivum* sit σημαντικὸν. Verum sufficit, si *formaliter* membra sibi opponantur, licet *materialiter* se invicem contineant.

Σημαντικὸν s. *significativum* signum est, quod tantum *significat*, non autem exhibet signatum, ut hedera. Dicitur alias *nudum*, non propter defectum significandi (aliàs enim non signum esset) sed propter *defectum exhibitionis.*

Μεταδοτικὸν s. exhibitivum est; quod unà *exhibet* id, quod significat. Talia signa sunt Sacramenta.

V. 3.

V. 3. Signum est vel *formale s. immediatum*, vel *instrumentale s. mediatum.*

Formale est, quod *immediate* sine sui cognitione rem repræsentat, ut species sensilis, intelligibilis. Dicitur *formale*, tum quia semper est *imago s. forma* signati; tum quia semper est *qualitas*, spiritalis scilicet; *qualitas* autem à quibusdam definitur accidens ad *formæ* modum subjectum afficiens.

Instrumentale est, quod *mediatè* rem significat, & ante cognitionem signati prærequirit sui *cognitionem*. Sic limes primum cognitus in notitiam terminorum agri nos deducit. Vocatur *instrumentale* specialiter per synecdochen. Nam in genere loquendo omne signum est instrumentum ad cognoscendum signatum.

VI. 4. Signum est vel *naturale* vel *arbitrarium.*

Naturale est, quod *naturalem connexionem* habet cum signato, ut hinnitus, rugitus, latratus, fumus, species intelligibilis.

Arbitrarium est, quod *ex extrinseco institutu* (divino vel humano) aliquid significat, ut iris *Gen.* 9. 17. literæ, hedera &c.

VII. 5. Signum est vel *doctrinale*, vel *non doctrinale.*

Doctrinale,

Doctrinale, quo in modo discendi & docendi utimur. Est verò signum doctrinale vel *internum* vel *externum*.

Internum est *Conceptus mentis*, qui est *noëma*, quo aliquid intellectui repræsentatur.

Conceptus verò est varius:

(1.) *Vel objectivus, vel formalis.*

Utriusque narura ex L.I.C.I. seq. facile percipi potest.

(2.) *Vel rerum, vel verborum, vel notionum secundarum.*

Conceptus rerum (qui etiam *Conceptus realis* vocatur, est quo res ipsæ in statu *fundamentali* vel *ideali*, vel *universali*, vel *formali* à mente concipiuntur.

Conceptus verborum (alias *verbalis*) est, quo voces secundum *materiale*, i. e. secundum *literas & syllabas* concipimus, quod fit; quando *vocabula* linguarum memoriæ mandamus. Conceptus rerum & verborum communi nomine dicuntur *notiones primæ*.

Conceptus notionum secundarum (alias *intentionalis*) est, quo notiones secundas concipimus.

Est verò *notio secunda* (alias etiam *intentio secunda*, vel *conceptus secundus*) *conceptus mentis ad seipsam reflexæ, qui à mente in modo versandi circa res tanquam ens rationis primis conceptibus*

ceptibus (rerum sc. & verborum) *non repugnantibus arte superimponitur, ut facilius & felicius circa res reversetur, & difficultas tollatur, quæ se in veri cognitione & boni introductione offert.*

§. 1. Dicimus, quod *mens* in negotio notionum secundarum *ad seipsam reflectatur.* Ut hoc intelligatur, sciendum est, quod actus intellectus in cognitione rerum sit vel *directus* vel *reflexus.*

§. 2. *Directus* est, quo intellectus cognoscens non per compositionem, divisionem, & ratiocinationem, sed per *simplicem apprehensionem* & *intuitum* objectum cognoscit. Ita Deus cognoscit.

§. 3. *Reflexus* vel reflectitur *ad res* vel ad ipsum *intellectum.* Actus intellectus *ad res reflexus* est, quo intellectus *distinctâ* & *diversâ notitiâ* confert conceptum realem cum alio conceptu reali, & *per medium seu tertium aliquod* ex ipsis rebus desumptum animadvertit, an recte duos conceptus *conjunxerit* vel *diviserit.* E. g. Noster intellectus disjungit conceptum cœli & leonis, in tali propositione: leo non est cœlum. Ut autem sciat, an recte divisio sit facta, iterum ad res *reflectit*, & quærit *tertium aliquod*, ex quo certus esse possit. Invenit illud in leone, qui animam habet, quam cœlum non habet; Unde ita concludit: Quodcunque est corpus animatum, illud non est cœlum. Leo. E.

§. 4.

§. 4. Actus *ad ipsum intellectum reflexus* est animadversio certitudinis & facilitatis, facta per rationem conceptibilem s. *per veritium aliquod, ansâ à rebus datâ, à ratione fictum,* (non ex ipsis rebus desumptum) E g. Qui discit linguam latinam, ille deprehendit, quod facilius possit voces apte conjungere, si regulas de terminatione teneat, & genus masculinum à fœminino &c. casum à casu distinctè sciat dignoscere, quam si ex latinis scriptoribus absque ulla Grammaticorum noematum cognitione solo usu legitimam omnium vocum coordinationem & inflexionem cupiat addiscere. Et quando tyro hujus linguæ incipit loqui, dum voces coordinanatas profert, subinde intellectus ipsius *super seipsum reflectitur & attendit,* an juxta præcepta Grammaticæ recte loquatur.

§. 5. Dicimus porrò, quod intellectus occupetur circa notiones secundas in *modo versandi circa res.* Non enim *notiones secundæ* sunt ipsi conceptus rerum, sed tantum facilem reddunt *modum* concipiendi res.

§. 6. Porro, cum dicitur *primis conceptibus superimponi* secundas notiones, hoc non ita intelligendum est, quasi non plures, quam *duas notiones* vel *noemata* de unaquaque re concipere possit intellectus, ita ut semper *notio secunda* sit in ordine secunda, cum constet *plures,* tam primas, quam secundas notiones de una re

sæpe

sæpe formari, quæ utrinque per primam, secundam tertiam &c. numerari possent. E.g. Alia notio est, cum *hunc hominem* tanquam ens singulare concipimus, cui respondet notio *individui* in Logicis: Alia, cum *hominem* concipimus ab omnibus singularibus hominibus abstractum, cui in Logicis respondet *species specialissima*: Alia, cum magis abstrahimus, & hominem vocamus *animal*, cui in Logicis respondet *genus*. Aliæ notiones sunt, cum hominem concipimus, ut *animatum*, ut *corpus mixtum*, ut *corpus*, ut *substantiam*: quibus in Log. respondent *genera & species subalternæ*, & *genus generalissimum*. Sic etiam unum vocabulum distinctis conceptibus, tam primis quam secundis apprehenditur. E.g. Alium conceptum in mente gignit vox λόγος, cui in Gramm. respondet notio casus *nominativi*; alium λόγου, cui *genitivi*; cum λόγῳ, cui *dativi* notio respondet; *&c.* Non ergo ex numero notionum fluit denominatio vulgaris *primæ & secundæ* notionis, cum utrinque plures ordine numerari possint: Sed respectus habetur ad *duo genera notionum*, quorum *prius* ad apprehensionem rerum & verborum; *alterum* ad modum apprehendendi res & verba spectat. Quæcunque e. notio ex priori genere sumitur, dicitur *prima*, & ea, quæ in altero genere ipsi respondet, dicitur respectu suæ primæ *secunda*.

§. 7.

§. 7. Sed nec hoc prætermittendum est, quod *notiones secundæ* conceptibus primis non *repugnantibus* imponantur; Nam quodlibet non recipit quodlibet. Sic non repugnat voci *Deus*, unà cum homine, lapide, cinere & aliis vilissimis rebus referri ad *genus masculinum*; Contra verò repugnat Deo, cum homine, angelo &c. referri ad *speciem*. Species enim respondet *universali*: At Deus non est *universale* quid, sed ens *singulare*.

§. 8. Tandem dicitur, quod per notiones secundas facilitetur *veri cognitio* & *boni introductio*. Verba hoc volunt, quod *notiones secundæ* succurrant *utrique facultati* primariæ animæ rationalis, *intellectui* scilicet, cuius obiectum est *verum*, & *voluntati*, cuius obiectum *bonum* est. Addi potest etiam altera facultas animæ secundaria, *sermo* scilicet, quem etiam certæ *notiones secundæ* dirigunt ad negotia verum & bonum concernentia. Ita autem inserviunt notiones secundæ *facultatibus animæ*: ut intellectus conceptus primos accurate ab invicem *distinguere*, minus abstractum magis abstracto *subordinare*, consentanea *componere*, dissentanea *dividere*, unum ex alio legitime *colligere*, omnia in bono ordine *disponere*, ab aliis disposita *addiscere*, cuiusvis rei naturam *definire*, & latentem veritatem ubique *indagare* &c. possit: ad talia possunt *notiones secundæ Logicæ*, ut

genus

genus ſpecies, individuum, prædicamentum, Synonymum, Paronymum, Syllogiſmus, modi, figuræ & *ſpecies Syllogiſmorum, methodus, definitio* &c. Obiter notetur de *locis topicis* (& aliis fortaſſe *materiis* Logicis) quod *realia*, quæ in iſtis continentur, e. g. *cauſa, totum, ſubjectum, adjunctum, ſimile* &c. non ſint *notiones ſecundæ*; nam modus argumentandi ex iſtis rebus tantum ad *ſecundas notiones* pertinet: realia ad *primas*. Porro, ut homo hominem voce vel ſcriptis poſſit ea docere, quæ intellectus cognovit: ut homo ſedulus ex omnium gentium ſcrutinio ſuam ſupellectilem literariam, imò communia literari orbis ſtudia augere, & cum viris doctis tam in patriis quam peregrinis oris præſens & abſens de rerum difficultatibus conferre, ac ita ſuum intellectum acuere & firmare queat, linguæ neceſſariò addiſcendæ ſunt, cui ſtudio opem ferunt notiones ſecundæ *Grammaticæ*, ut ſunt, *caſus, declinatio, conjugatio* &c. Tandem, ut voluntas hominum ad virtutes colendas, vitia exſtirpanda, bonas leges obſervandas, & malas conſuetudines abrogandas moveatur, ut affectus vehementes tranquillentur, torpidi excitentur, & ſummatim omnè bonum introducatur, magnam vim habet *flexanima oratio*, tam *proſa* quam *ligata*, quam dirigunt notiones *Rhetoricæ* & *Poeticæ*, ut ſunt *Tropi* & *figuræ* variæ, genera *cauſarum*, genera *carminum* &c.

quamvis

quamvis hæ ipsæ *notiones* etiam secundariò ad veritatem hominibus *persuadendam* faciant.

(3.) *Conceptus est vel adæquatus, vel, inadæquatus.*

Adæquatus est, qui rem *totam* repræsentat, ut conceptus *essentiæ*.

Inadæquatus est, qui *aliquid* rei repræsentat; ut cum essentiam concipimus sub conceptibilitate boni, veri &c.

(4.) *Conceptus est vel comprehensivus vel apprehensivus.*

Comprehensivus penetrat obiectum, illudque *exacte cognoscit* secundum intimam naturam. Talis est conceptus de homine.

Apprehensivus non penetrat obiectum, sed *imperfectè* quædam tantum de eo novit. Talis est noster conceptus de Deo & eius attributis.

NB. *Comprehensivus* non coincidit cum *adæquato*; nam comprehendimus etiam *inadæquatum* conceptum. e.g Qui exacte didicit naturam *unius*, ille comprehendit *ens* sub *inadæquato* conceptu.

(5.) *Conceptus est medius, vel ultimus.*

Medius, alias *non-ultimatus*) est, qui in tendentia ad idem obiectum alium conceptum *præcedit*. Talis est conceptus *vocabuli*, quod vel plane non, vel non perfecte intelligimus.

Ultimus

Ultimus (ſ. *ultimatus*) eſt, quem alius conceptus ad idem obiectum tendens *præceſſit* (ſi ſcilicet ultimatus *poſitive* ſumatur): Talis eſt conceptus rei per vocabulum iſtum ſignificatæ.

(6.) *Conceptus eſt vel diſtinctus, vel confuſus.*

Diſtinctus, (aliàs *præciſus*) eſt, quo unum certum obiectum ab omnibus, quæ de facto ipſi ſunt coniuncta, *abſtrahimus, & in formali conſideramus:* ut cum conſideramus unum certum hominis adiunctum, v. g. facultatem loquendi.

Confuſus eſt, quo multa *ſimul ſub noëmate aliquo communi*, in quo omnia conveniunt, apprehendimus, ita ut ſingula non cognoſcantur alio atque alio conceptu, ut cum conſideramus adiuncta hominis varia ſub notione adiuncti, non deſcendendo vel ad riſibilitatem, vel ad voluntatem, vel ad docilitatem &c. *ſigillatim* conſiderandam.

Hæc dicta ſunto de ſigno doctrinali *interno*, conceptu ſc. de quo aliquanto prolixius agendum fuit propter materiæ obſcuritatem & utilitatem. Sequitur iam ſignum *doctrinale externum.*

Externum ſignum doctrinale eſt duplex; *Vox & ſcriptura.*

Vox

Vox est signum conceptus & rei arbitrarium, lingua formatum. Variæ autem sunt acceptiones *vocis*, nam sumitur vel *materialiter* pro literis & syllabis, unde *suppositio materialis* suum nomen habet; vel *formaliter* pro re significata. Porro est vel *concreta*, vel *abstracta*; vel *certa*, vel *ambigua*; *Categorematica*, vel *Syncategorematica* &c.

Scriptura est signum rei, conceptus, & vocis arbitrarium, actu scribendi formatum.

Non-doctrinale signum est, quo in modo discendi vel docendi non utimur, ut sunt *hinnitus*, *latratus* &c. *Non-doctrinalia* autem non ideo vocantur, quasi ex istis nihil possimus discere, cum eo ipso, dum signant, informetur intellectus de signato; sed quia iis non utimur in *modo* docendi & discendi κατ' ἐξοχὴν ita dicto, qui conceptu, voce, & scriptis absolvitur.

VIII. 6. Signum est vel *rememorativum*, vel *demonstrativum*, vel *prognosticon*.

Rememorativum est, quod signat rem *præteritam*, eamque revocat in memoriam. Sic statua Rolandi est *signum* illius heroïs & heroicorum ipsius factorum.

Demonstrativum est, quod signat rem *præsentem*. Sic pulsatio ostii indicat adstare hominem.

Prognosticon est, quod signat aliquod *futu-*

rum. Sic varia obſervant Medici ſigna prognoſtica de eventu morborum vel ſalutari vel triſti, quæ videri poſſunt per totam practicam Sennerti.

IX. 7. Signum eſt vel *theoreticum*, vel *practicum.*

Theoreticum eſt, quod per ſe nihil efficit, ſed tantum ſignat, ut imago principis.

Practicum eſt, quod non tantùm ſignat, ſed per poſitivum influxum per ſe ſimul aliquid *efficit.* Sic cum lignator ſecurim elevat, ſecuris illa non tantùm eſt ſignum inferendi ictus, ſed poſitivè quoque ipſum ligno infert.

X. 8. Signum eſt vel *manifeſtativum* tantùm, vel ſimul *ſuppoſitivum.*

Manifeſtativum eſt, quod tantùm *notificat* rem, non autem in ſermone pro ea re ſupponit. Sic pulſus campanæ auditus imminentem Dei cultum notificat, non autem in ſermone cultum *infert*, quem non intelligimus vocibus iſtis auditis.

Suppoſitivum eſt, quod rem *notificat*, & ſimul *ſtat* vel *ſupponit* in enunciatione pro re ſignificata. Sic vox *magnes* ſupponit pro certo lapide; cum enim dicitur, magnes trahit ferrum, intelligo, quod res ea, quæ dicitur magnes, trahat ferrum.

XI. Si-

XI. *Signatum* est, quod potentiæ cognoscenti *per signum repræsentatur.*

Signati natura ex deductione signi facile percipitur.

PROBLEMATA.

I. An omne signum necessariò sit sensibile?

Neg. Species intelligibiles omnino sunt *signa* objectorum, quæ menti repræsentant, unde etiam Alstedius Metaph c.43. Encyl. p.619. signo formali exempli loco subjungit speciem intelligibilem: sed non sunt sensibiles & visibiles istæ species. Idcirco dicimus, quod *signum* indifferenter se habeat ad sensum & intellectum.

II. An ad rationem signi in genere sumpti requiratur, ut prius se, deinde signatum repræsentet?

Neg. Quia dantur *signa*, quæ verè signatum repræsentant, sine tamen sui cognitione. Talia sunt *signa formalia* Th. V.

III. An conceptus apud omnes sint iidem?

Resp. Distinguendum est inter conceptus *rerum, verborum, & notionum secundarum* Conceptus *rerum* apud omnes sunt iidem hoc est, similes. Quia enim *essentiæ* rerum ubique *eædem* manent, *imagines* essentiarum, quas *conce-*

ptus continet, etiam oportet esse *easdem* ubique. Sed manendum est in circulo, quatenus ic. ubique *veri* sunt conceptus, & ab ipsa *natura* suggeruntur. Nam si hic verum, iste falsum: hicè to'a natura fluentem, iste arte elaboratum, & subtilibus abstractionibus acuminatum foveat conceptum, non sane p:r omnia sunt similes. Porro quia *verba* non apud omnes gentes sunt eadem, etiam *verborum conceptus* variant. Imo in eadem lingua alius per hoc, alius per aliud σύνεγγυα vocabula concipit. Conceptus *notionum secundarum* etiam non sunt apud omnes *iidem*, præsertim quia multi naturam earum nondum exploratam habent. Hic Grammaticus ex hac, ille ex alia *radice* vocem derivat. Olim homo erat generis communis, jam gen. masculini. Plerique 10 habent declinationes græcas: nonnulli tamen 3. tantùm &c. *Notiones secundæ* non raro mutantur & perficiuntur instar hypothesium Mathematicarum, ex quibus alii terram moveri, alii eam stare affirmant.

IV. An signum in genere sumptum necessariò à signato realiter differat?

Neg. Cum audimus aliquid *creatum* esse, statim colligimus inde, illud *ens* esse: Ergo *creatum esse* est signum *entis*, & tamen ens & creatum

tum esse non differunt *realiter*, quia creatum esse est modus *inseparabilis*. Signum ægritudinis est febris, quæ ab ægritudine non differt realiter, quia se habet ut species ad genus.

AXIOMATA.

I. *Notæ* sunt notiores *notato*.

Si non semper quoad notitiam *conjecturalem* & probabilem, tamen quoad notitiam *infallibilem*.

II. Quod rem ipsam non verè *exhibet*, sed eam tantum *idealiter repræsentat*, id est, signum *nudum*, non *exhibitivum*.

Signum enim *exhibitivum* ipsum signatum non *idealiter*, sed *realiter* exhibet.

III. *Signum* non est *signatum*.

Si sc. considerantur *formaliter*. *Materialiter* enim si sumuntur, idem sæpe est *signum* & *signatum*.

CAPUT XXII.

DE *MENSURA ET MENSURATO.*

Ambiguitas.

I. *Mensura* est 1. vel *intrinseca*, vel *extrinseca*. 2. Sumitur vel *activè*, vel *passivè*. 3. Vel *positivè*, vel *negativè*.

Intrinseca est, quæ mensurat rem *intrinsecè*, ita, ut certo modo idem sit mensura *suiipsius*. Sic e. g. quidditatem rei dicunt esse mensuram ejus *intrinsecam*, quia per eam cognoscatur illius quantitas *perfectionis*. Sed hæc impropriè dicitur *mensura*, & concipitur tantùm ita ab intellectu. Nihil sanè potest esse positivè mensura *suiipsius*, quia sic unum idemq, esset notius & ignotius seipso. Juxta *mensuram intrinsecam* vero idem certo modo suiipsius fit *mensura*. *Quidditas* cum dicitur mensurare *perfectionem*, seipsam mensurat; mensurat enim eam secundum perfectionem, quia *mensura* debet esse homogenea *mensurato* Ergo perfectio *quidditatis* mensurabit perfectionem quidditatis. Absonum.

Ex-

Externa est, quæ mensurat aliud *extra* se. Hæc est hujus loci.

Activè accepta mensura est illud, quod *mensurat*, & *mensurans* dicitur. Ita hoc loco sumitur, quia mensurato opponitur.

Passivè est id, quod mensuratur, & dicitur *mensurabile* vel *mensuratum*. Sic tempus passivè dicitur *mensura motus*, id est, mensurabile motu.

Positivè dicta mensura est, quæ *activè* mensurat; & est hujus loci.

Negative mensura illud dicitur, quod à nullo mensuratur. Sic Deus est mensura sui ipsius, non quod seipsum mensuret, sed quia non datur aliud, quod ipsum mensuret.

Formale.

II. *Mensura* vel *norma* est id, ad quod aliud *sufficienter examinatur.*

Aliàs definitur ita: *Mensura est, qua quantitas alterius cognoscitur*; cum hac explicatione, quod *quantitas* indifferenter sit intelligenda ad quantitatem *molis* & *virtutis*. Verùm definitiones sint liberæ ab æquivocationibus & tropis. Æquivocè verò & per metaphoram *quantitas* tribuitur *virtuti* & *perfectioni*. Propterea hæc explicatio *quantitatis* in definitione vacillat. Si verò quantitas (uti debet) pro sola *ex-*

tensiva quantitate accipitur, definitio nimis angusta est. Licet enim terminus *mensuræ* primò impositus sit ad denotandam *mensuram quantitativam* propriè ita dictam, tamen postea ampliatus est, ut aliæ etiam species genuino titulo sub ipso comprehenderentur. Propterea nos sufficienter abstracto conceptu *mensuræ* eam generaliter definimus, quod sit illud, *ad quod aliud sufficienter examinetur.*

Divisio.

III. Mensura est vel *quantitatis*, vel *perfectionis*, vel *veritatis*, vel *vitæ* & *morum*.

IV. *Quantitatis* mensura est, juxta quam alicujus rei *quantitas* propriè dicta *examinatur*. Atque rursus vel *adæquata*, vel *inadæquata* mensurato.

Adæquata (alias mensura *adæquationis*) æquè quanta est cum mensurato. Talis norma est *ulna* respectu æqualis quantitatis in *linea*.

Inadæquata minor est mensurato, & mensurat propter repetitionem, undè etiam alias mensura *repetitionis* dicitur. Sic *ulna* in respectu ad circumferentiam *pallii* est mensura *inadæquata*, quia circulus iste per aliquotam ulnæ repetitionē mensuratur. Dico, quod mensura *inadæquata* minor sit mensurato. Nam si major

sit,

sit, erit quidem inadæquata habitudo ad invitē, sed ita ratio *mensuræ* perit, quia e g. integro modio non potest mensurari quadrans hordei, nec integra tonna cantharus cerevisiæ, nisi arte major mensura resolvatur in minores. Hoc facto autem mensura, per quam potest mensuratio fieri, vel est *æqualis*, vel *minor* mensurando.

V. *Perfectionis mensura* est, juxta quam de *perfectione* alterius judicium fertur. Sic Deus est mensura creaturarum, homo viventium, &c.

Mensura hæc *perfectionis* ita instituitur: Intellectus sumit præstantissimum in certo aliquo genere, illudq; facit mensuram. Deinde aliud cum hac mensura confert, & quo magis illud ad eam accedit, eo *perfectius*; quo magis ab ea recedit, eo *imperfectius* esse judicat. Sic homo in collatione ad Deum *perfectior* est bruto, quia quoad intellectum, voluntatem &c. propius accedit, quàm brutum.

VI. *Veritatis mensura* est, ad quam *veritas* examinatur. Estque duplex: Mensura *veritatis* in *cognoscendo*, & in *essendo*.

Mensura veritatis in cognoscendo est, ad quam cognitio, an vera sit, examinatur. Hæc rursus est vel *principalis*, quæ nobis se offert tum in *natura*, quatenus res sunt mensura cognitionis,

nis noſtræ; tum in *Scriptura*, quatenus verbum Dei revelatum eſt normæ cognitionis in articulis fidei, vel *inſtrumentalis*, ut cum regulæ Logicæ de conſequentiis, regulæ Grammaticæ de inflexione & connexione vocum, globus & circuli ejus in Aſtronomicis, muſtricula & exemplar in mechanicis, quales normas ſartores, pictores &c habent, certiorem reddunt hominum cognitionem.

Menſura veritatis in eſſendo eſt intellectus divinus.

VII. *Menſura vitæ & morum* (aliàs *moralis*) eſt, ad quam vita & mores noſtri exiguntur.

Talis menſura ſunt *leges naturæ* & leges *poſitivæ*, quæ in iis fundantur; præſertim autem leges *morales*, quæ in ſacris literis præſcribuntur.

VIII. 2. Menſura eſt vel *Lesbia*, vel *Polycleti*.

Menſura ſ. regula Lesbia eſt, quæ ad habitudinem rei menſurandæ *ſe accommodat*, & ita menſurat, uti res patitur, adeoq; non eadem manet. *Regula Lesbia* enim, ſ. regula ſtructuræ Lesbiæ plumbea erat, & ad lapidis figuram torquebatur & inflectebatur, propter duritiem lapidum ſcalpro non cedentium. Tales regulæ ſunt multæ regulæ *Logicæ*, quas ad materiæ ingenium accommodare debemus, uti in doctrina de methodo peculiari axiomate hoc præcipitur: Methodus

thodus inserviat rebus, non res methodo; unde regula Lesbia à quibusdam etiam dicitur *materialis.*

Mensura s. regula Polycleti est, quæ inter mensurandum se non accommodat ad habitudinem rerum, sed ad quam *res mensurandæ sunt accommodandæ.* Talis enim fuit norma s. regula Polycleti, eximii istius statuarii. Talis etiam fuit libra Critolai, Philosophi istius Peripatetici, qui in alteram lancem libræ animi bona, in alteram corporis & externa bona imposuit, & tanquam Philosophus secundum ductum & naturam mensuræ *perfectionis* deprehendit lancem bonorum animi tantum propendere, ut terram & maria deprimat. Mensuram Polycleti quidam vocant *formalem.*

IX. *Mensuratum* est, quod *mensuratur* ad aliud.

PROBLEMATA.

I. An Deus sit mensura perfectionis creaturarum?

Aff. Quia per appropinquationem ad ipsum vel recessum ab ipso potest judicium ferri de majori vel minori *perfectione* creaturarum. Sed dicis: Omnes creaturæ in infinitum à Deo distant: Ergo una non propius ad eum accedit, quam altera. Resp. Creaturæ non accedunt

dunt ad Deum, vel recedunt ab eo ratione *proportionis*, quasi multoties vel aliquoties iteratæ possint *adæquari* infinito; sed vel ratione *attributionis*, quatenus vel plures vel pauciores *perfectiones* (licet alio modo) habent, quas & Deus habet: ut sunt, *vivere*, *intelligere*, *velle* &c. Sic homo propius accedit ad Deum, quàm brutum, quia non tantùm vitam, quæ etiam bruto competit, sed etiam intellectum & voluntatem habet, quibus bruta destituuntur; vel ratione majoris & minoris *recessionis à nihilo*: Quæcunque creatura enim habet essentiam *perfectiorem*, illa magis recedit à non ente, quàm quæ minus perfectam essentiam habet (comparatè loquendo.)

II. Quænam sint requisita s. conditiones mensuræ?

Resp. 1. *Mensura sit homogenea mensurati*, id est, mensura cum mensurato habeat convenientiam aliquam. Hæc sive sit *univoca*, sive *analoga*, sive *generica*, sive *specifica* &c. nihil interest. Non enim semper requiritur, ut *mensura* planè ejusdem rationis sit cum *mensurato*, uti longitudo non nisi longitudine mensuratur, quia alias Deus nullius rei mensura esset; sed sufficit, si adsit quæcunque *convenientia* ad mensuratum examinandum necessaria & idonea.

2. *Mensura*

2. *Mensura sit infallibilis.*

Ad *mensuram* enim mensuranda examinantur, & omnis lis de re orta per collationem cum *mensura* componitur. Si ergo ipsa *mensura* incerta sit, unde aliquid certi de mensurato statuetur: Si error sit in principio, quomodo ab errore immune erit, quod ex eo deducitur, E. g. Quando de pariete litigium fovent fabri, & hic ad dextram, ille ad sinistram eum propendere contendit, ad *perpendiculum* recurrunt: Cum articularii certant de angulo mensæ, & hic rectum, ille acutum vel obtusum eum esse affirmat, *normam* anguli (Winkelmaak) applicant, & ita controversiæ finem imponunt. Si autem ipsæ hæ *normæ architectonicæ* fallant (quod interdum cum quotidiano usu detritæ sunt, contingit) non possunt antè de decisione dubii certi esse, quam ex principiis Mathematicis rectitudini & infallibilitati restitutæ sint.

3. *Mensura sit notior mensurato.*

Mensura enim *notificat* mensurati *habitudinem.* Quòd verò aliud *notificare* debet, *notius* eo sit, necesse est. Oportet autem mensuram notiorem esse quoad *notitiam accuratam & distinctam*; nam secundum *notitiam confusam* mensuratum potest esse notius suâ mensurâ.

4. *Mensura sit indivisibilis.*

Hoc est, in quantum *mensura* est, nec additionem

nem nec diminutionem patiatur. Cui enim *mensuræ* aliquid addi potest sub ratione *mensuræ*, illi deest aliquid, & sic corrupta *mensura* est; cui vero aliquid demi potest, illa excedit, & iterum vitiosa est. Alias extra rationem *mensuræ* potest præsertim res quanta augeri vel minui. Sic de *modii* capacitate potest aliquid auferri, licet deinde sit adulterinus modius.

III. Num mensura recte dividatur in intrinsecam & extrinsecam?

Neg. Quia alterum membrum divisionis evertit naturam divisi. *Intrinseca* enim *mensura* non est proprie *mensura*, sed omnis *mensura* est *extrinseca* Vid. Th. I.

AXIOMATA.

I. Omne ens est vel *mensura* vel *mensuratum*.

II. *Primum* in unoquoque genere est *mensura* reliquorum.

Loquitur regula de mensura *perfectionis*, & sic per *primum* intelligitur *præstantissimum & perfectissimum* in certo genere. Vid. Th. 5.

III. *Mensuratum* non debet ultra *mensuram* suam *extendi*.

Hoc est, nihil debet esse in *mensurato*, quatenus

nus est mensuratum, quod non possit exigi ad *mensuram*. Valet regula de omnibus speciebus mensuræ excepta mensura *quantitatis*, quæ sæpe excedit̃ à mensurato, tum sc. quando aliquid exigitur ad mensuram repetitionis.

FINIS PARTIS GENERALIS.

PARS

PARS SPECIALIS
DE
DIVISIONE ENTIS,
CAPUT I.
DE
DIVISIONE ENTIS IN GENERE.

PRÆCEPTA.

I.

Ens dividitur in substantiam & accidens.

COnsideravimus hactenus in generali parte Ens tum in *simplici theoria*, quatenus ab omni attributo *præscinditur* vid p. 33. seqq. tum in *expressiore contemplatione*, quatenus una cum variis *attributis*, tam *unitis*, quam *disjunctis* menti sistitur, & in alio atque alio statu repræsentatur. Jam recto

recto tramite pergimus ad entis *divisionem*, qua in duas quasi species, *Substantiam* sc. & *Accidens*, immediate dividitur.

II. *Ens* ad inferiora contrahitur per *subsistentiam* & *inhærentiam* p. 16.

§. 1. *Subsistentia* est modus existendi substantiæ, *inhærentia* accidentis. Non sumitur verò hic *subsistentia specialiter* pro *ultimata* subsistentiâ, quæ alias *suppositalitas* dicitur: ita enim non adæquatè opponeretur *inhærentiæ*, quia dantur substantiæ, quæ non *ultimatò* subsistunt, e.g. ignis in ferro, anima separata, terra in misto &c. & tamen non inhærent; sed *generaliter* pro tali modo existendi, quo res *per se existit*, hoc est, *non est in subjecto ad modum accidentis*.

§. 2. *Inhærentia* etiam hic non accipitur *specialiter*, quatenus *adhærentiæ*, *circumsistentiæ*, modo essendi *ab* & modo essendi *ad* opponitur; sed *generaliter*, quatenus adæquate opponitur τῷ *per se subsistere*, s. τῇ ἀυθυπαρξίᾳ.

PROBLEMATA.

I. An ens sit æquivocum ad substantiam & accidens.

Neg. *Æquivocum* enim idem *nomen* quidem tribuit inferioribus, non verò eandem *definitionem*. At ens tam *substantiæ*, quam *accidenti* tribuit & nomen & definitionem. De

substantia

ſubſtantia non eſt dubium. *Accidenti* etiam convenit definitio *entis*, quia habet *eſſentiam*, quæ ex actionibu probatur; nam *calor* agit (licet inſtrumentaliter) dum caleſacit: *calor* ve, ro eſt *accidens*.

II. Num ens ſit univocum ad ſubſtantiam & accidens?

Univocum 1. *opponitur* adæquatè *æquivoco*, qnomodo omne id generaliter *univocum* dicitur, quod non eſt *æquivocum*. Ita poſſet affirmari. Sed de hac acceptione hic non quæritur. 2. *Opponitur paronymo*, & ſpecialiter ſignificat terminum, qui alicui *eſſentialiter* competit, atque ſic idem eſt, quod *Synonymum*. Sub hac acceptione etiam quæſitum poſſet affirmari. Sed neque hæc ſignificatio h. l. venit in controverſiam. 3. *Opponitur analogo* (ſecundum *attributionem intrinſecam*) & ſpecialiſſime ſignificat terminum, qui *æquè primo* (abſque dependentia ab invicem) inferioribus competit eſſentialiter De hac acceptione h. l. quæritur, an ita ens reſpiciat *ſubſtantiam* & *accidens*, Hoc negatur. Quia ens non æquè primò ſ. *æqualiter* utrique competit, ſed primò *ſubſtantiæ*, deinde *accidenti*, quod dependet à ſubſtantia, eique tanquam inſeparabili fundamento innititur. Quod ergo non æqualiter & ſine ordine convenit inferioribus, illud ad ea non eſt

univo-

univocum. Ens non *æqualiter* &c. Nam accidenti tribuitur in ordine ad subſtantiam.

III. *Utrum ens ſit analogum ad ſubſtantiam & accidens?*

Analogia eſt vel *proportionis*, vel *attributionis*. Analogia *proportionis* eſt, *quæ conſiſtit in nudâ ſimilitudine & ſola communitate nominis citra communitatem in eſſentia & definitione*, ut homo ridet; prata rident.

Hæc analogia ſemper metaphoram & improprietatem aliquam involvit, unde æquivoca conſilio facta alio nomine *analoga proportionis* dicuntur. Propterea juxta hanc analogiam ens non eſt *analogum* ad inferiora. *Analogia attributionis* iterum eſt duplex: vel attributionis *extrinſecæ*, *vel intrinſecæ*. *Analogia attributionis extrinſecæ eſt, quando denominans reperitur intrinſecè in uno tantum analogatorum, quod primum analogatum inde dicitur: reliquis verò per extrinſecam tantum denominationem tribuitur ſub habitudine & reſpectu ad iſtud unum.* Sic homo dicitur ſanus per *intrinſecè* ſibi inhærentem ſanitatem: cibus, urina, medicamentum, color &c. per *externam* denominationem dicuntur ſana, in quantum reſpiciunt ſanitatem hominis. Hæc analogia etiam involvit *æquivocationem*; nam cibus, urina &c. non niſi *æquivoce* ſunt ſana. Propter implicatam ergo

Æquivoca-

æquivocationem *ens juxta* hanc *analogiam attributionis extrinſecæ* etiam *non eſt analogum ad inferiora. Analogia attributionis intrinſecæ eſt, quando denominans reperitur intrinſecè in omnibus analogatis, & analogata habent unum conceptum* (quod in analogia proportionis & attributionis extrinſecæ non fit) *ita tamen, ut eum inæqualiter & dependenter* (ab invicem) *participent.* Non intelligitur verò hic *inæqualitas dignitatis*, quaſi ſemper ſit analogia attribut. intrinſ. ubi inferiora inæqualem dignitatem habent, quia ſic animal non eſſet univocum ad hominem & brutum; Sed *inæqualitas ordinis*, ut ſc. unum ex inferioribus iſtum conceptum participet *primò & abſolutè*, aliud verò *ſecundariò* & per *dependentiam, habitudinem, attributionem ac ordinem* ad prius. Juxta hanc analogiam ens eſt *analogum* ad ſubſtantiam & accidens, tanquam ad analogata. *Prius* analogatum eſt ſubſtantia, *poſterius* accidens: Habent *unum conceptum*, Ens ſcil. quia tam ſubſtantia habet eſſentiam quam accidens: Iſtum conceptum *inæqualiter* participant; nam ſubſtantia *primariò* eſt ens, accidens *ſecundariò*: Subſtantia *abſolute* eſt ens, accidens *per attributionem, habitudinem* & *dependentiam* ad ſubſtantiam, quia accidens ſupponit ſubſtantiam, in qua eſſe ſuum fundatum habet, uti loquitur Dn. Scheiblerus.

IV. An

IV. An ens ſit genus analogum, proprie dictum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis?

Neg. Aliud eſt *analogum*, aliud *genus analogum*. Analogia *attributionis intrinſecæ* præſcindit à *genere* analogo & *conceptu* analogico *non-generico*, ſicut principium à *cauſali* & *non-ſali*. Atque ita *analogum* latius eſt, quam *genus* analogum. Fundamentum hujus ſententiæ hoc eſt, quia prædicata eſſentialia ſeu ſynonymica (ad quæ *analoga attrib. intrinſ.* ſpectant) non tantum dantur in *vi prædicamentali*, quæ admittit genera (nam prædicamenta ſunt claſſes rerum per genera & ſpecies diſpoſitarum) ſed etiam in *vi eminenti*, quæ reſpuit proprie ſic dicta genera (nam in *Tranſcendentibus* & *divinis* non habemus proprie ſic dicta *genera*.) Porro ſi *ens* eſſet *genus*, *ſubſt.* & *accidens* eſſent *ſpecies*. Sed ſubſtantia eſt *ſummum* genus, quod nunquam fit *ſpecies*. Accidens ne quidem *ſummum genus* (juxta receptum modum docendi omnium fere Logicorum, qui temerè non eſt mutandus) nedum ut ad ordinem *ſpecierum* ſe demittat. Notandum hic eſt, quod propter deficientem verborum copiam ſæpe tam à Theologis quam Philoſophis *genus* & *ſpecies* tribuantur rebus divinis *tranſcendentibus*, & aliis, quibus, ſi in rigore logico examinantur, non competunt. Hoc cum ſit,

per

per *genus* & *speciem* intelligendum est *quasi* genus & *quasi* species s. id, quod generi vel speciei in proportione *respondet*.

CAPUT II.

DE

SUBSTANTIA.

Præcepta de Substantia ad faciliorem cognitionem in quatuor puncta secabimus & 1. ejus *ambiguitatem*; 2. *formale*; 3. *modos*; 4. *divisionem* ordine expendemus.

Ambiguitas.

I. Substantia sumitur 1, pro *ente in genere*. 2. pro *subjecto*. 3. pro *ente per se subsistente*.

Prima acceptio est nimis *lata*; nam ita nihil reperitur, quod *substantia* non sit, uti etiam Augustinus (improprie) loquitur. Sed videtur nata esse ex voce gr. οὐσία, quæ *substantiam* & *essentiam* significat. *Secunda* est nimis *stricta*. Nam non tantum *substantiæ*, sed etiam *accidentia* suo modo sunt *subjecta*. Nec substantia *semper* est *subjectum*, sed *quandoque* etiam *adjunctum*,

junctum vide l. c. *Tertia* demum est adæquata. Substantia, enim hoc loco sumitur pro re, quæ *per se subsistit.*

II. Substantia (*pro ente per se subsistente sumpta*) accipitur vel *Metaphysicè*, vel *Logicè.*

Metaphysicè & *Transcendentaliter* sumpta & in plenissima sua ampliatione & ultima abstractione spectata præscindit à *creato* & *increato*, & substantia *completa* & *incompleta*, ac ita significat omne ens *per se subsistens*; ut Deus, angelus, anima, forma, cœlum, lapis &c. Hæc proprie est hujus loci.

Logice & prædicamentaliter sumpta restringitur ad *creaturas* & entia *completa*, & definitur ita: *Substantia est ens per se subsistens, finitum, completum, sustinens accidentia*, quæ definitio est Gutkii in Logica divina L. I. c. 3. pag. 78.

Formale.

III. Substantia est ens *per se subsistens.*

§. 1. Ens in hac descriptione sustinet vicem *generis*, quia *latius* est substantiâ, et accidentibus quoque competit; sed *verum* genus non est, quod C. I. probavimus.

§. 2.

§. 2. Formalis ratio vel quasi differentia substantiæ, qua ab accidente (prædicamentali) adæquatè differt, est *subsistentia*. Est verò h. l. hæc vox *generaliter* intelligenda, pro tali modo existendi, *secundum quem res per se existit, & non est in alio, quo, tanquam subjecto, ad modum accidentium sulciatur, ut sine illo esse non possit*: Nam si *specialiter* pro modo subsistendi *perfectissimo & planè ultimato*, adeoque pro *subsistentia suppositali* accipiatur, sola *suppositа & personæ* eam subsistentiam sibi vendicant.

§. 3. Ut verò accuratius intelligatur, quid sit *per se subsistere*, tollenda primum hic est ambiguitas τῦ *per se*. Vox hæc accipitur 7. potissimum modis, & significat 1. *solitarium*, & opponitur ei, quod est *cum alio*, quomodo causa *solitaria* dicitur per se agere. 2. *Independens*, & opponitur ei, quod *ab alio effectivè* suum esse habet, quo sensu solus *Deus* est ens *per se*. 3. *Necessarium*, & opponitur *Contingenti*. Sic risibilitas homini *per se* competit, in secundo scil. modo *per se itatis*: eruditio *per accidens*. 4. *Intentum*, quod sc. cum intentione agit vel fit, & opponitur *causæ* & *effectui per accidens*. 5. *Proprium*, & opponitur *communicato*, s. illi, quod *per aliud* tale est. Sic sol per se est lucidus, luna per aliud. 6. *Unam essentiam*, & opponitur *enti per accidens*. 7. *Quod non existit in alio, tanquam in subjecto*. Hæc significatio est hujus loci.

§. 4.

§. 4. Exponitur ergo *per ſe ſubſiſtere* optimè negativè, ut idem ſit, ac *non eſſe in alio tanquam in ſubjecto*. *Eſſe in ſubiecto* autem accipitur dupliciter: 1. *generaliter*, ſecundum formale ſubjecti in genere ſpectati, quomodo *ſubſtantia* etiam ſunt in ſubiecto: 2. *Specialiter*, in ea ſcilicet anguſtia, juxta quam adæquatè per ſe *ſubſiſtere* opponitur. Hoc modo illud dicitur eſſe in *ſubiecto*, quod ineſt tanquam *peculiare* ens, ita ut non ſit pars rei, & omnino eſſe non poſſit, niſi in illa re, quomodo omnia & ſola *accidentia* ſunt in ſubiecto.

Modi.

IV. Subſtantia eſt vel *completa*, vel *incompleta*.

V. *Completa ſubſtantia* (*ſcilicet in eſſendo*) eſt, quæ habet eſſentiam *in ſe terminatam*, & per ſe non ordinatur ad *alterius* perfectionem intrinſecam. Ut DEUS, Angelus, homo leo, equus.

VI. *Incompleta ſubſtantia* eſt, quæ ordinatur ad *alterius* perfectionem, & eſt *pars* alicujus compoſiti: ut anima, forma, materia, pes, manus, vena, caput.

Hæc diſtinctio verò hoc in loco videtur præter neceſſitatem eſſe â Metaphyſicis introducta, quia *ens* in genere diſtinguitur in *comple-*

tum & *incompletum*. *Generalia* enim eam ob causam *specialioribus* præmittuntur, ne opus sit in singulis *speciebus* eadem repetere. Qui ergo novit, quod sit ens *completum* vel *incompletum*, ille statim etiam intelligit naturam substantiæ *completæ* vel *incompletæ*.

VII. Substantia (*prima & singularis*) completa in essendo, est vel completa *simul in subsistendo*, vel *incompleta in ratione subsistendi*.

VIII. Substantia incompleta in subsistendo (*qua talis*) *innititur* alii substantiæ, tanquam *sustentanti*.

Ignis in ferro ignito est substantia singularis *in essendo completa*, sed *incompleta in subsistendo*, quia non subsistit *ultimatè* & *independenter*, sed *dependet* à ferro in subsistendi modo.

IX. Substantia *in subsistendo completa* communiter dicitur esse vel *suppositum* vel *persona*.

Ut hanc distinctionem in ordinem rediga-mus, notandum est, quod hi termini se respiciant, ut *latius angustius*. Nam *suppositum* generalius quid est, quam *persona*, sicut & *suppositalitas* latior est *personalitate*. Omnis quidem *persona* est *suppositum*, sed non omne *suppositum* est *persona*. Describendum verò utrumque est tam in *abstracto*, quam in *concreto*. In *concreto* suppositum ita describitur.

X.

X. Suppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis *completa, ultimatè ſubſiſtens.* Ut equus, canis &c.

§. 1. Bonaventura 3. ſent. diſt. 10. q. 3. art. 2. Suppoſitum dicit eſſe duplex *in quo*, in quo ſc. totum eſſe rei *ſtabilitur*, & *ultimo fundatur*: Et *de quo*, de quo ſcilicet *prædicatur* aliud, & quod *ſubjicitur* alii, quale eſt ſubiectum in *propoſitione*. Nos ad tollendam ambiguitatem hic removemus ſuppoſitum *de quo*, & re. inemus ſupp: *in quo*.

§. 2. Hoc eſt ſubſtantia *ſingularis*, ut removeatur ſubſtantia univerſalis ſ. ſecunda, quæ ad Logicam potius, quàm ad Metaphyſicam pertinet.

§ 3. Eſt *completa*. Nam illi *ſubſtantiæ*, quæ eſſe *incompletum* & ad alterius perfectionem *per ſe ordinatum* habet, eminens hæc *ſubſiſtentia*, quæ *ſupp ſitalitas* dicitur, non poteſt competere.

§ 4. Vox *ultimatè* alios habet terminos æquipollentes: *incommunicabiliter*, *independenter*, *perfectiſſimè*, qui omnes exprimunt formale *ſuppoſiti*, & ſæpe coacervantur, ut ſenſus eo penetrantius exprimatur. Volunt autem hoc, quod ſuppoſitum *ultimò* terminatum ſit in ratione ſubſiſtendi per *ſubſiſtentiam ſpecialem*, & qua tale non *dependeat* ab alio, tanquam *ſuſtentante*, nec *ſuſtentetur* in alio unito. Porro

cum ſuppoſitum dicitur *incommunicabile*, non negatur hac voce *communicabilitas intellectualis*, quæ eſt per modum univerſalis: Nam hæc jam remota eſt per vocem *ſingularitatis*. Neq; negatur eius *communicabilitas ad aliquam naturam*, ut eam terminet, ſicuti ferrum terminat ſibi unitum ignem. Talis enim communicatio *ſuppoſito* non repugnat, quia *ultimata ſubſiſtentia*, quæ formale *ſuppoſiti* eſt, non tollitur. *Suppoſitum* quatenus tale, poteſt aliud terminare, modo ipſum aliunde non terminetur.

Sed dicitur ſuppoſitum *incommunicabile*: 1. *quia non habet ab alio participatam & communicatam ſubſiſtentiam*: *Suppoſitum* enim habet proprium & ultimò terminatum *ſubſiſtendi* complementum. Si in eo ab alio dependeret, contradictio eſſet. Nam terminaretur ulterius, vel acciperet ulteriorem terminum ab alio terminante, quòd ultimo terminatum eſt: Dependeret ab alio in *ſubſiſtendo*, quod, quatenus tale, *independenter* ſubſiſtit. 2. *Quia alii ſuppoſito*, quatenus ſuppoſitum eſt, *ſuam ſuppoſitalitatem non communicat*. Dico, *quatenus ſuppoſitum eſt*, nam ſæpe ſuppoſitum aliquod, cum alteri unitur, ſuam amittit *ſuppoſitalitatem*, & ſubſiſtit *ſubſiſtentia communicata*. Sic ignis, quando unitur cum ferro, amittit ſuam *ultimatam* ſubſiſtentiam, & ſic ſubſiſtit in ſubſiſtentia ferri. Atque hæc dicta ſunto de ſuppoſito in *concreto*:

Jam

Jam dicendum quoqne eſt, quid ſit in *abſtracto* quomodo voce *ſuppoſitalitatis* deſignatur.

XI. Suppoſitalitas eſt *ſubſtantiæ ſingularis & completæ ultimata ſubſiſtentia.*

Hæc definitio ex iis, quæ de *ſuppoſito* in *concreto* dicta ſunt; facile intelligitur. Addimus autem explicationis gratia hanc prolixiorem D. Scharfii. *Suppoſitalitas eſt modus ſubſiſtendi perfectiſſimus, independens & ultimato completus, quo ſubſtantia prima completa per ſe independenter ſubſiſtit, ita ut cum alio non poſſit uniri, ut communem ſubſiſtentiam ab illo accipiat.* Et hinc eſt, quod *incommunicabilis* dicatur ſubſiſtentia.

XII. Suppoſitum vel *ſubſiſtitutur intellectu*, & nomen generale (*ſuppoſiti*) retinet, vel *intelligens* eſt, & dicitur *perſona*. D. Caſel. Exerc. 2. contra Reiherum.

Perſona à *ſuppoſito* non differt ſecundum *formale*: nam *ultima ſubſiſtentia*, quæ *ſuppoſiti* formale eſt, etiam eſt formale *perſonæ*; ſed tantum ſecundum *materiale*, ſubiectum ſcilicet. Nam *ſuppoſitum* indifferenter ſe habet ad ſubſtantias *intelligentes* & *non-intelligentes*, adeoq; latius eſt *perſonâ*, & in reſpectu ad eam ingenium generis quaſi induit, (licet eius verum

genus non sit:) *Persona* vero restringitur ad substantias *intelligentes*. Differunt ergo non nisi diversitate *subjecti*, cum *suppositalitatis* subiectum latius sit, quàm *personalitatis*.

XIII. Persona est *suppositum intelligens*.

§. 1. Definitio hæc describit personam in *concreto*. Alias prolixiorem tradunt definitionem: *Persona est substantia individua, (completa) intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio vel in alio*. Nos vero breviorem hanc retinemus, quia vox *suppositi*, quæ in ea extat, conditiones *personæ* omnes in prolixiori def. enumeratas comprehendit, præter determinationem ad subiectum *intelligens*, quæ propterea expresse additur.

§. 2. Cæterum vulgata illa definitio, ut dextre intelligatur, continet *materiale & formale*. *Materiale* exprimitur, cum dicitur esse *substantia individua, completa, intelligens*. Hæ enim conditiones non soli *supposito* competunt. Elementa in mistis sunt *substantiæ* indiv. s. *singulares*: suppositа non sunt. Ignis in ferro est *completa* substantia, sed *suppositum* minime est. Anima separata est *intelligens* substantia, non vero suppositum. *Formale* est in verbis, *incommunicabilis, non sustentata ab alio, vel in alio*, quæ brevius ita exprimuntur: *ultimate subsistens*; nam illa substantia singularis, completa & intelligens

intelligens demum *perſona* eſt, quæ *incommunicabiliter* ſubſiſtit, ita ut non ſuſtentetur *ab alio* vel *in alio*, breviter, quæ *ultimate* ſubſiſtit. Hoc quid ſit, in doctrinâ de *ſuppoſito* explicatum eſt. Hinc facile liquet, quid ſit perſona *in abſtracto ſ. perſonalitas.*

XIV. Perſonalitas eſt *ſuppoſitalitas* ſubſtantiæ *intelligentis.* Seu eſt ſubſtantiæ *ſingularis, completæ* & *intelligentis ultimata ſubſiſtentia.*

Quidam hanc deſcriptionem tradunt: Perſonalitas eſt *modus ſubſiſtendi perfectiſſimus*, quo ſubſtantia *prima, completa, intelligens independenter* ſubſiſtit.

Diviſio.

XV. Subſtantia vel *habet materiam*, & dicitur *corpus*: vel *materiæ expers* eſt, & vocatur *ſpiritus.*

§. 1. *Corpus eſt ſubſtantia ex materia & forma conſtans*, & fit obiectum peculiaris diſciplinæ, *Phyſicæ* ſcilicet, cui illud *Metaphyſica* tanquam Regina elaborandum tradit, & à qua porro in *ſimplex* & *mixtum, animatum* & *inan.* &c. dividitur.

§. 2. *Spiritus eſt ſubſtantia materiæ & formæ expers*, & fit obiectum peculiaris diſciplinæ,

Pneumaticæ scil. quæ ulteriores spiritûs divisiones tradit.

PROBLEMATA.

I. An substantia sit suppositi genus?

Neg. Quia *suppositum* non est *substantiæ* species. Vera *genera* & vera *species* habentur tantum in *prædicamentis*, quæ propterea definiuntur ordines seu dispositiones *generum* & *specierum*; & quidem ponuntur justo loco, ut non pervagentur omnes *species*. *Suppositum* verò est terminus *transcendens* prædicamentum *substantiæ*, quia Deus etiam cum charactere *hypostatico* apprehensus est *suppositum*. Pervagatur etiam omnes subst. *species*: Nam non tantum homo, sed etiam angelus, cœlum, arbor, pisces, terra, equus &c. sunt *suppositа*. Dicimus ergo, quod *substantia* sit *suppositalitatis*, tanquam modi, *subjectum*.

II. Quid suppositalitas essentiæ singulari creatæ superaddat, & quomodo ab ea differat?

R. *Superaddit* ei modum aliquem *positivum*, non solam *negationem*, licet eam simul inferat. Modus iste *positivus* est *ultimata subsistentia*. Hic modus ab essentia differt *realiter*, non per distinctionem realem *strictè* ita dictam, sed eam, quæ *analogice* talis est, & intercedit inter

ter *rem* & *modum* ejus *separabilem*. Indicium distinctionis *realis* hic est *separabilitas*. Quæ enim *separari* possunt, differunt *realiter*. Quorum unum potest esse *sine altero*, illa non sunt *realiter* idem. Jam vero *suppositalitas* separari potest ab *essentia*, quod de igne in ferro, sale in aqua &c. patet. E.

III. Num persona & suppositum differant secundùm formale?

Neg. Conditio *intelligentis* & *non intelligentis* enim pertinet ad *materiale* s. ad subjectum, non ad *formale*. vid. th. X. §. 4. XII. XIII.

IV. Utrum intellectus sit formalis ratio personæ?

Neg. Pertinet etiam ad ejus *materiale* Th. XIII. §. 2. Non enim illud statim est *formale*, quo aliquid *distinguitur* ab alio. Sonus chordæ differt à sono fistulæ *diversitate subjecti*, licet unam clavem in eadem octava habeant, adeoq; in *formali* non discrepent.

V. An suppositum creatum alienam naturam terminare & ei suam suppositalitatem communicare possit?

Aff. Ferrum ignitum enim *terminat* sibi unitum ignem. Vinum medicatum *communicat* suam *subsistentiam* corpusculis ex herbis ex-

extractis: aqua falsa sali &c. Quod ad *suppositum creatum intelligens* attinet, de eo etiam vera est affirmativa, si non aliter, tamen per potentiam Dei absolutam. Per hanc Deus *omnia* potest, quæ non involvunt simplicem *contradictionem*. Jam vero, personæ subsistentiam *communicari* alienæ naturæ s. essentiæ, nec ex parte *personæ*, nec ex parte *naturæ* alienæ *contradictorium* est. *Persona* enim dum communicat alii suam *subsistentiam*, non desinit esse *persona*; quia non terminatur *ulterius*, sed terminat aliud. *Natura* potest amittere suam subsistentiam *ultimatam propriam*, imo potest ab ipso ortu ea destitui, & *subsistere* in aliena. Nam *suppositalitas* s. subsistentia ultimata est *modus*, qui substantiam creatam *extraessentialiter* & *paronymice* respicit, & ab ea *separari* potest.

VI. An doctrina de notitia Dei naturali sub ratione propria in Metaphysica speciali parte sit pertractanda?

Neg. Quia *universalis* disciplina non debet *singulare* ens sub ratione propria contemplari. Peculiaris ergo disciplina est concedenda, ad quam *notitia de Deo naturalis* referatur, quam cœperunt vocare ab objecto suo Pneumaticam.

AXIOMATA

AXIOMATA.

I. Substantia non est *in subjecto.*

Sc. quatenus τὸ *esse in subjecto* τοῦ *per* se subsistere *adaequate* opponitur. Nam est vel *pars* ejus, in quo est, vel potest esse *sine eo.*

II. Substantia non recipit *magis* & *minus.*

Hoc est, sustantia una non est *magis* substantia juxta esse *substantiale* considerata, quàm altera.

Johannes non est *magis* homo, quàm Casparus.

III. Persona *creata* cum persona *divina* non *omnimodè* convenit.

Licet in multis conveniant, *omnimoda* tamen ratio non est. In *creatis* quælibet *persona* suam *numero* ab aliis distinctam habet essentiam: In *divinis* una essentia *singularis* communis est *tribus personis.* In *creatis* personalitas ab essentia *realiter* differt, & ab ea *separari* potest (pot. Dei absolutâ:) in *divinis* minimè.

IV. Suppositalitas cum natura creata per *realem compositionem* cohæret.

Porismatis hujus sensus ex præcedentibus patet.

V. Sup-

V. Suppositalitas, qua talis, non pertinet ad *perfectionem essentialem* (*essentialem sc.*) naturæ.

Nam quicquid ullo modo *separari* potest à natura, ita ut nihilominus ea salva maneat, illud non pertinet ad *perfectionem* ejus *essentialem*. Suppositalitas &c. E. Igni nihil decedit de *perfectione* essentiali, licet ferro unitus amittat suam *suppositalitatem*.

VI. Multiplicatis *existentiis* non statim multiplicatur *subsistentia*.

In uno enim *supposito* possunt esse plures *essentiæ* sc. *existentiæ* In *una massa* vel portione sæpe dantur diversissima *medicamenta*. In *uno homine* dantur 4. *elementa*, & varia accidentia.

VII. *Singulare* non simpliciter est *incommunicabile*.

Efficiens singulare omnino influxum suum communicat *effectui*. Licet eo modo non sit communicabile, quo *universale* communicatur *inferioribus*, alii tamen modi comm. ipsi denegandi non sunt.

CAPUT

CAPUT III.

DE *ACCIDENTE IN GENERE.*

I. *Accidens* est ens subſtantiæ *inhærens.*

Inhærere sumitur potissimum dupliciter: 1. *generaliter* & late, ut significet omnem modum, quo ens qualecunque, quod non est subſtantia, *afficit* subſtantiam: sive fiat per *in esse* rigoroſe sumptum, sive per modum essendi *ad.* Sub hac acceptione ergo intelligitur sensus iſte, quem τὸ *inhærere* habet in adæquata oppoſitione ad τὸ *per se subſistere*, qui felicius negative explicatur, ut *inhærere* idem ſit, ac *non per se subſiſtere.*

Et hunc sensum habet vox *inhærens* in hac definitione *accidentis* (ſc *prædicamentalis*, ut vocant: nam de *prædicabili* agunt Logici). 2. *Specialiter & ſtricte*, ut ſignificet particularem modum *afficiendi* subſtantiam, qui non omnibus, ſed aliquibus tantum *accidentibus* competit & reliquis modis, ut ſunt modus eſſendi *ad*, modus eſſendi *ab*, opponitur.

II. Accidens

II. Accidens est vel *entitativum* vel *modificativum*.

III. Entitativum est vel *primarium* vel *secundarium*.

IV. Primarium est vel *absolutum*, ut *quantitas & qualitas*; vel respectivum, ut *relatio*. Secundarium, *actio passio*.

V. Modificativa accidentia sunt: Quando, ubi, situs, habitus.

CAPUT IV.

DE QUANTITATE.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Quantitas est vel *extensiva* s. molis: & *Intensiva* s. virtutis.

Extensiva est, quâ substantia extenditur, ut habeat *partes extra partes*.

Intensiva est, juxta quam aliquid dicitur esse *majoris* vel *minoris perfectionis* & virtutis. Sic dicitur aliquis esse fortior altero. Hæc non est hujus loci.

II Quan-

II. Quantitas est vel *continua* vel *discreta*.

Continua, quæ proprie est hujus loci, est cujus partes uno *communi termino copulantur*. *Communi termino copulari* talem dicit partium *cohæsionem*, qua unius partium initium alterius partis finis est, ita ut in uno puncto concurrant. *Uno* dico, ad distinctionem *continui* & *contigui*. *Continua* sunt, quæ non conjunguntur in uno puncto seu termino, sed *diversis*. Ea huc non spectant, quia non sunt ens *per se*, sed *per accidens*: non sunt unum ens, sed multa. *Continuum* verò est, cujus extrema conjunguntur in uno puncto. Quantitas continua dicitur alias *magnitudo*, termino scilicet *absolute* accepto, non *respective*, qt. sc. *parvo* opponitur.

Discreta Quantitas est, cujus partes *communi termino non copulantur*, sed ab invicem *discretæ* sunt. Differt â *continua* in eo, quod illa partes habet copulatas, hæc verò *separatas* & *discretas*. Quantitas discreta est *numerus*, qui definitur *multitudo ex unitatibus collecta*. *Multitudo* dicitur numerus, termino iterum *absolute* accepto; nam interdum etiam *relative* accipitur, quatenus *paucitati* opponitur. Est autem numerus vel *numerans* s. formalis vel *numeratus* s. materialis. *Numerans* consideratur *in abstracto*, & est numerus Arithmeticus *ab omni materia abstractus* quo numerare solemus, ut: sex; septem, octo &c. *Numeratus* consideratur

ratur in *concreto*, & est numerus rebus ipsis applicatus. Prout vero res vel sunt *transcendentales* vel *prædicamentales*, numerus etiam vel *Transcendentalis* dicitur vel *Prædicamentalis*. Aristoteles ad quantitatem discretam etiam *orationem* refert, propter brevitatem seu correptionem & pròductionem syllabarum.

Formale.

III. *Quantitas* est accidens, quo substantia materiata *extenditur*.

Essentia *quantitatis* s. ejus formalis ratio consistit in *extensione*, ea scilicet, qua aliquid habet *partes extra partes*, ita ut una pars non sit altera, sed sit *extra* illam.

Divisio.

IV. Quantitatis (*continuæ sc.*) species sunt *linea, superficies, & corpus*.

Quantitas extenditur vel in solam *longitudinem*, & sic vocatur *linea*, magis oculis mentis quam corporis conspicua. Vel in *longitudinem & latitudinem*, & dicitur *superficies*; vel in *longitudinem, latitud. & profunditatem* & vocatur *corpus*, sc. Mathematicum, quod hic non sumitur pro substantia corporea, sed pro *corpulentia*, quasi *crassitie & profunditate*.

PRO-

PROBLEMATA.

I. An quantitas discreta sit proprie dicta quantitas, & proinde species quantitatis?

Neg. 1. Quia res per *numerum* non proprie *extenditur*, sed *multiplicatur*. *Extensio* autem est de essentia *quantitatis*. 2. Quia non est ens *per se*, sed ens *per accidens*; non enim est in una re, sed in multis. At quantitas est ens *per se*. Quantitas est *ens*: numerus non dicit ens, sed *entia*.

II. An quantitas discreta ad entia realia pertineat?

Aff. Sunt, qui putant eam *ens rationis* esse; sed 1. multitudo datur præter mentis *fictionem*. 2. Est *objectum* realis alicujus *disciplinæ*, Arithmeticæ scilicet.

AXIOMATA.

I. Ubi *quantitas*, ibi *materia*.

Quantitas enim est materiæ effectus proximus per resultantiam.

II. Propter quantitatem res sunt *æquales* vel *inæquales*.

III. Quantitati nihil est *contrarium*:

Sc. Contrarietate *Physica*, qua res in se agunt.

CAPUT

CAPUT V.

DE QVALITATE.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas.

I. Qualitas est vel *substantialis* vel *accidentalis:* Et hæc vel *generatim* vel *specialim* sumitur.

Substantialis est differentia *substantiæ.* Imo *formam* Aristoteles etiam hujusmodi *qualitatem* vocat.

Accidentalis vel dicit in *genere*, quod est *extra essentiam*, quomodo quantitas, &c. etiam faciunt prædicationem in quale; vel *in specie* notat peculiare genus accidentis *ad formæ modum subjectum afficiens.* Hæc ultima acceptio est hujus loci.

Formale.

II. Qualitas est accidens, *per modum formæ essentialis subjectum suum (extra essentialiter tamen) afficiens, qualificans & perficiens.*

Qualitatis

Qualitatis ambitus latè se diffundit, & præterea ad *inferiora* sua simul sumpta, uti vulgariter dividitur, est *analoga*, ideo difficile est ejus essentiam in genere spectatam uno *conceptu* & adæquata *definitione* exprimere. Nos ex variis variorum autorum *definitionibus* hanc selegimus, quam putamus optimam esse. Dicitur vero in ea, quod *ad formæ modum subiectum afficiat.* Hac phrasi distinguitur ab aliis *accidentium* generibus. Quantitas enim *materiam* potius, cujus *essentiale consequens* est, quam *formam* imitatur. *Relatio* si perficit *subjectum*; perficit illud non *in seipso*, sed *in respectu ad aliud*, & ita *formæ* in hac perfectione non assimilatur. *Actio* & *passio* potius ad actum secundum formæ, quam ad ipsius *formæ* ingenium spectant. Ab *ultimis* accidentibus per differentiam quasi *genericam* distinguitur *qualitas*, quia ipsa sunt accidentia *modificativa*, hæc verò accidens *entitativum*.

Divisio.

III. Species *qualitatis* communiter recensentur quatuor 1. *Habitus* (& *dispositio.*) 2. *Potentia naturalis* (& *impotentia* 3. *Patibilis qualitas* (& *passio*) 4. *Figura seu forma.*

§. 1. In singulis speciebus duo vulgò ponuntur nomina, non quasi *specificam* differentiam importent, sed partim, ut differentia *gratiam*

dualis insinuetur, partim, ut unum vocabulum *declaret* alterum.

§. 2. Nota. Hinc inde in scriptis Philosophorum reperiuntur vestigia, quibus innunt, consultum esse, ut generaliora vocabula introducantur, in quibus bina cujusvis speciei vocabula conveniant. e. g. ut *potentia naturalis* dicatur *facultas perfecta*, impotentia verò *facultas imperfecta*: ut *patibilis qualitas* dicatur *qualitas afficiens durabilior*, passio vero qual. aff. *subitanea*. Quibus posset quis addere in prima specie *promptitudinem adventitiam*, vel aliud vocabulum. Verum termini artium sine gravissima causa non sunt mutandi. Ideo, si quis omnino non possit acquiescere, nisi conceptus de hisce exquisitè distinctos habeat, ille tria priora vocabula poterit dupliciter accipere: *Generaliter*, ut præscindat ab *oppositò* & à seipsis *specialiter* explicatis. 2. *Specialiter*, in ea significatione, qua opponuntur *vocabulis additis*.

IV. Habitus est *qualitas potentiæ naturali superaddita, subjectum promptum reddens ad operandum*.

Ordine naturali potentia nat. esset prima species, quia ipsi *habitus* superadditur. Sed quia juxta Arist. receptum jam est, ut *habitus* primum occupet locum propter *nobilitatem*; ordo iste non temere mutandus est, præsertim cum

cum in scriptis Philosophorum sæpe citentur species *qualitatis* per numeros, non addito *expresso nomine.*

V. Dividi potest vel ratione *principii*, vel ratione *subjecti*. Ratione *principii* s. *originis* habitus est vel *concreatus*, vel *connatus*, vel *infusus*, vel *acquisitus*.

Concreatus est, qui in prima creatione *inspiratus* est, ut justitia originalis in homine, virtutes in angelis, &c.

Connatus est, qui ex ipsa generatione *connascitur*; ut lex naturæ.

Infusus est, qui ab agente extrinseco rei jam productæ citra laborem proprio principio innitentem *infunditur*. Hic, quatenus θεόδοτον est, est vel *extraordinarius*, ut donum linguarum in Apostolis; vel *ordinarius* sive per *ordinaria* media concessus, ut Theologia.

Acquisitus est, qui proprio labore ex principiis propriis *comparatur*: ut prudentia, justitia, scientia, *&c.*

VI. Ratione *subjecti* (*intellig. subj. Quo*) dividitur in habitum *intellectus* & *voluntatis*, sive *intellectualem* & *moralem*.

VII. Habitus *intellectualis* est, qui datur in *intellectu*, quem *informat*, *perficit*, & in operationibus *dirigit*.

VIII. Estque, vel *principalis*, vel *instrumentalis*.

IX.

IX. Principalis est, qui circa *res ipsas* versatur. Hic est vel *Theoreticus*, vel *Practicus*.

X. Theoreticus est, cujus finis ultimus *principaliter* est *cognitio & contemplatio*.

Theoreticus est vel *simpliciter intellectivus*, & dicitur *intelligentia*, vel est *discursivus*, dicituq; *scientia*.

Intelligentia est habitus *primorum principiorum intellectuali* principalis *theoreticus*, *contemplans* rerum affinitatem, quatenus ex eadem *principia cognoscendi prima* fluunt. Intelligenda verò hic sunt principia prima cognoscendi *complexa*.

Scientia est habitus *intellectualis* principalis *theoreticus*, *deducens infallibiles conclusiones ex principiis demonstrativis*. Scientia verò est vel *prima*, vel *secunda*: *Prima* alias *Sapientia* dicitur, cujus Synonymum est *Metaphysica*.

Sapientia (*scientia prima* est cognitio infallibilis conclusionis ex principiis *demonstrativis primis*. Notanter dico *primis*. Nam *sapientia* addit *scientiæ* præcise sumptæ determinationem ad principia *prima* & *conclusiones* inde fluentes, unde etiam *scientia* cum capite dicitur.

Scientia secunda est cognitio ex principiis *secundis*, quæ respectu principiorum *primorum*, *conclusiones* sunt, unde nonnunquam hæc *scientia secunda* (quæ communiter *scientia* indeterminate

minate dicitur) *cognitio conclusionum* vocatur. Scientia *secunda* vel contemplatur *spiritum*, ut *Pneumatica*; vel *corpus*, ut *Physica*; vel quantitatem, ut *Matheſis*.

XI. *Practicus* habitus eſt, cujus finis ultimus *principaliter* eſt ex cognitione *operari*.

XII. Et eſt vel *activus*, ut *Prudentia*; vel *factivus*, ut *ars*.

Activus eſt, qui ultra cognitionem *operatur* quidem, ſed non tendit ad *effectionem*. Talis eſt *prudentia*, quæ ideò ita definitur:

Prudentia eſt habitus cum recta ratione *activus* circa ea, quæ homini *bona* ſunt vel *mala*.

Prudentia eſt habitus cum recta ratione *activus* circa ea, quæ homini *bona* ſunt vel *mala*. *Prudentia* habetur in Philoſophia *practica*, in *Ethica*, *Politica* & *Oeconomica*. Ariſt. 6. Nic. c. 8. diſtinguit *prudentiam* in *privatam*, qua quilibet ſuis rebus *rectè præeſt*; & *communem*, qua & *aliis* proſpicit, quam dividit in *œconomicam*, *nomotheticam* & *Politicam*: Politicam rurſus in *conſultatoriam* & *judicatoriam*.

Factivus eſt, qui *operando* tendit ad *effectionem*. Talis eſt *ars*, quæ propterea ita definitur:

Ars eſt *habitus* cum recta ratione *effectivus*. Differt ergo ars à prudentia in eo, quod ars *factibilium*, prudentia *agibilium* eſt.

XII.

XII. *Instrumentalis* est, qui *facilitat* modum versandi circa res.

Tales sunt Grammatica, Rhetorica, Logica.

XIII. Moralis habitus seu *habitus voluntatis* est, qui datur in *voluntate*, & eam juvat ad *actus* suos; ut temperantia, modestia, veracitas, *&c.* de quibus Ethica agit.

XIV. Dispositio est *habitus imperfectus*.

Intelligenda hic est imperfectio non *essentialis*, quia ab *habitu* non nisi *gradu* & *modo ineſſendi* differt, quæ differentia quia speciem non variat, hinc eadem *qualitas* e. g. Physica, modo *habitus* modo *dispositio* vocatur.

XV. 2. Potentia *naturalis* est qualitas in *natura* radicata, qua subjectum *aptum* est ad aliquid *agendum* vel *patiendum*; ut intellectus, facultas procreatrix, &c.

Hæc à Physicis dividitur in *activam*, (sub *qua resistendi facultas* comprehenditur) & *passivam*, in *realem* & *intentionalem*, in *manifestam* & *occultam*, in *primam* & *secundam*. Excluditur ab hac *potentia* omnis illa, quæ vel *realiter* eadem est cum essentia subjecti, ut *potentia activa* Dei; vel quæcunque non est ens *peculiare*, ut pot. transcendentalis.

XVI.

XVI. Impotentia naturalis est *diminuta potentia.*

Per *impotentiam* enim non est negativè *nulla* potentia intelligenda, aliàs non esset *qualitas*; sed debilis *facultas agendi* vel *patiendi* naturæ insita.

XVII. 3. *Patibilis* qualitas est ejusmodi *qualitas*, quæ afficit *sensus* & *appetitum sensitivum.*

Physici docent, quod anima sensitiva habeat 3 *facultates*? *Cognoscentem*, *appetentem*, & *locomoventem.* Ad priores duas spectat *patibilis* qualitas: Afficit enim vel facultatem *cognoscentem*, quæ sub se sensus tam *internos* quàm *externos* comprehendit; Tales *patibiles* qual. sunt Color, lux, sonus, sapor, asperitas, lævitas, &c. De quibus objectis *sensuum* Physici fusè agunt in doctrina de Anima. Vel afficit fac. *appetentem* (quæ etiam appetitus *sensitivus* dicitur) ad quam spectant *affectus.* Tales qualit. *patibiles* sunt, Ira, amor, odium, tristitia, &c. quas Physici in doctr. de Anima fusè declarant.

XVIII. Passio est patibilis qualitas *subitò transiens.*

Passio à *patibili* qualitate non differt *specie* & *essentia*, sed tantùm *modo*, *durazione* scilicet. Quæ enim *diutius* durat, *patib.* qualitas; quæ *subito* transit, *passio* dicitur. Propterea facilioris doctrinæ ergo sine incommodo *passio*

potest describi patibilis qualitas *subitò* transiens, ad differentiam *diuturnioris*, quæ κατ' ἐξοχὴν *patibilis* qualitas dicitur. Sed ita præscinditur *patibilis* qualitas à speciali significatione, quam habet in oppositione ad *passionem*.

XIX. 4. Figura seu forma, est quantitatis *externa determinatio* & *dispositio*, ut rotunditas.

Intelligitur in definitione *quantitas continua*. Eam *determinat* & *modificat figura*, ut jam rotunda, jam quadrata, jam oblonga appareat. Occurrerunt autem in Philosophis variæ sententiæ de differentia *figuræ* & *formæ*, inter quas eminet ea, quod figura *abstractè* & *mathematicè* intelligenda sit, forma verò *concretè*, prout in corpore hæret. Sed nihil certi de hac & aliis differentiis habetur, propterea nobis sunt Synonyma.

XX. Figura est vel *naturalis*, vel *artificialis*.

PROBLEMATA.

I. An habitus possit fieri ex uno actu?

Aff. Non quidem omnis *habitus* in particulari potest ita acquiri, cum præsertim *moralis* præ aliis frequentem iterationem requirant. Aliqui tamen *habitus* possunt ex uno *actu* fieri, e.g. Scientiam de re aliqua sibi quis non raro acquirit

acquirit per unam *demonſtrationem*. Proinde naturæ *habitus* in genere ſumpti hoc non repugnat, & per conſequens non accurata eſt definitio illa *habitus*: Habitus eſt qualitas *crebris exercitiis comparata*, &c.

II. An dentur qualitates, quæ ad uſitatas quatuor ſpecies referri non poſſint?

In brutis ſæpe has & illas promptitudines videmus, quæ ipſis non à *natura* ſed *aſſuefactione* inſunt, & ita naturalibus *potentiis* ſuperadditæ ſunt. Cardueles urnula potum è profundo attrahunt. Elephanti ſaltant, digladiantur, & aliis aſſuefiunt exercitiis: Equi habenis reguntur, pedes, caput, & reliqua membra ad artis quaſi regulas componut: Oſcines melodias Eccleſiaſticas cantillant: Pſittaci humanas voces formare ſueſcunt, &c. D. Sennertus p. m. in ſuis Paralipom. p. 48 ſeqq. inſignem diſcurſum habet de *conſuetudine*, quam ipſe definit *diſpoſitionem naturali conſtitutioni accedentem, & à frequenti exercitio agentis & patientis ſenſim introductam*. In iſto diſcurſu prolixè monſtrat, *conſuetudinem* comparari in omnibus facultatibus noſtris, etiam iis, quas cum brutis communes habemus, utpote in *facultate* concoctrice ſtomachi de cuius *aſſuefactione* ad ligna, lapides, oſſa, ſtramen, ſtipulas, & alias res à cibo humano alienas concoquendas admirabilem

historiam p. 128. recitat) imo in universa facultate nutritiva, (quam dicit etiam veneni *assuefieri* posse absque læsione) in robore corporis (exemplo Milonis Crotoniatæ, qui bovem gestare *didicit*) in tactu, gustu, olfactu, auditu, visu, in facultate locomotiva, &c. Addit pag. 56. quod ex *consuetudine* membra corporis nostri novum robur accipiant, quod non sit *naturale*, sed naturæ accedat, & hanc solam dicit esse causam, cur *assueti* insuetis facilius labores tolerent. De hisce & similibus actibus *assuefactitiis* dubitari potest, ad quam speciem *qualitatis* referendi sint. Primo intuitu cuilibet videntur ad *habitum* pertinere, quia *naturali potentiæ* superadditi sunt, & subiectum *promptum* reddunt ad operandum. Verum, quando Metaphysicos altius scrutamur, deprehendimus, probatissimos unanimiter statuere, quod subiectum *habitum* tantum illæ *potentiæ* sint, quæ habent indifferentiam & libertatem ad agendum, non verò illæ, quæ determinatæ sunt ad unum oppositorum, qua de causa etiam brutis *habitus* denegant. Quid ergo dicendum? sunt, qui dicunt, quod assimilentur *habitibus* aliquo modo. Sed sedulitatum scrutatores in hoc non acquiescunt. Isti enim non quærunt, quorsum talia *metaphorici* possint reduci, sed, (si qualitates sint, uti revera sunt) ad quam speciem *qualitatis proprie* spectent?

ctent? Reponi quidem potest illud Aristotelis Lib. Categ. c. de qual. Alia fortasse sunt genera *qualitatis*, sed hæc (usitata sc. 4. genera) sunt ferè, quæ maximè in omnium ore versantur. Verum, instat quæstio, an igitur *quinque* species constituendæ sint? Nos salvo aliorum judicio duplici modo putamus posse huic dubio satisfieri. 1. Ut ab habitu (ad indifferentes potentias restricto) & à jam enumeratis actibus *assuefactivis* abstrahatur communis conceptus, qui posset *promptitudine adventitia* vel alio vocabulo exprimi. Ista *promptitudo* ratione subjecti divideretur in eam, quæ est in potentia *determinata*, quales sunt modo enumeratæ, & eam, quæ est in potentia *libera*, ut habitus. (sed ita in definitione *habitus* restrictio esset addenda) Vel 2. Terminus *habitus* ampliandus esset (Multiplicatis *rebus* multiplicandi vel ampliandi sunt *termini*) ut hæc exempla sub se comprehendere posset. Posset autem ampliatio hoc modo instituì: Habitus ratione subiecti dividitur in *rationalem* & *irrationalem*. *Rationalis* est vel *intellectualis* vel *moralis*. Ita modo dicta exempla invenirent locum sub *habitu irrationali*. Sed modò de re constet, in verbis simus faciles.

III. An habitus disciplinarum totaliter sumpti sint entia per se?

Neg. Quia ex multis entibus *completis*

 constant.

constant. E. g. alia scientia in Physicis est, cœlum esse invisibile: alia, terram immotam quiescere. Alia conclusio in Metaphysicis est, non posse produci infinitum: alia, propria posse communicari. Dicimus ergo, quod habitus discipl. sint entia *per accidens*, sc. per *aggregationem*.

IV. Quomodo se habeant actiones ad habitus per eas acquisitos?

R. Ut *efficiens* ad *effectum*. Intelligendæ vero hic sunt actiones habitum *antecedentes*, non *consequentes*.

V. An habitus sit causa efficiens actionum consequentium?

Aff. Sed *inadæquata*. Habitus enim una cum potentia coefficiendo *influit* in actionem. Et *influit* quidem non tantum in *intensionem* actionis, ut habitualis fiat, sed in ipsam *essentiam* actionis, licet hanc *inadæquatè* efficiat.

VI. An figura sit qualitas proprie dicta?

Neg. Qualitas enim est *ens*: figura vero tantum est *modus* entis sc. quantitatis. Proprie ergo ad *quantitatem* pertinet, cujus *modus* est, sicuti subsistentia ad substantiam, cuius *modus* est. Proinde in doctrina de quantitate *figura* posset sortiri titulum *modi*, ut ita caput istud etiam in 4 puncta secaretur, sicut C. de Substan-

tia

tia. Refertur autem ad ſpecies qualitatis propter uſitatam doctrinam Ariſtotelis. Perutile eſt loqui cum multis, ſentire tamen cum paucis.

AXIOMATA.

I. Qualitas admittit *contrarietatem.*

Intelligitur hìc contrarietas *ſtrictè* dicta, cujus genuinæ notæ recenſentur. E. g. Virtus & vitium, calor & frigus, albedo & nigred, &c. ſunt contraria.

II. Qualitas recipit *intenſionem* & *remiſſionem*, ſeu *magis* & *minus.*

Valet regula tantùm in *habitibus* & *patib. qual.* (Licet dubitari poſſit, anne etiam in omnibus hiſce *remiſſio* & *intentio* locum habeat.) *Intenſio* autem eſt additio plurium *graduum* (operationem facilitantium) ad eſſentiam *qualitatis* in *ſubjecto*, & conſequenter major *radicatio* ejus eſſentiæ in *ſubjecto.* Contra *Remiſſio* eſt *diminutio* graduum, *levior*que radicatio.

III. Propter *qualitatem* res ſunt *ſimiles* vel *diſſimiles.*

Sicut propter *quantitatem* ſunt *æquales* vel *inæquales.*

IV. Tria requiruntur ad acquirendum *habitum*: *Natura*, *inſtitutio*, & *exercitatio.*

Deductionem horum vide apud Plutarchum libr. περὶ παιδ. ἀγωγ. non procul ab initio.

V. Signum *contracti habitus* est facilitas (ad operandum) & *constantia*. Habitus enim subjectum promptum reddit ad operandum.

CAPUT VI.
DE
RELATIONE.

PRÆCEPTA.

Ambiguitas,

1. Relatio *rationis, subsistens,* & *transcendentalis* huc non pertinent.

Relatio rationis enim præter mentis *fictionem* in rebus non datur; At *ficta* exulant à Metaphysica. *Relatio subsistens* est modus *substantialis:* Jam verò versamur in *accidentibus* & quærimus relationem *inhærentem*. *Transcendentalis* ipso nomine monstrat, quod huc non pertineat, *transcendit* enim *prædicamentalia*, in quibus jam occupati sumus. Sicut ergo *potentia*, quæ *actui* opponitur, non potest coarctari ad secundam speciem *qualitatis:* ita etiam latissimus respectus

ctus *transcendentalis* non debet coarctari ad *prædicamentalem*. Respectus ut sic non est talis *respectus*.

Formale connotativum.

II. Relatio est accidens, *juxta quod aliquid, quicquid est, (formaliter consideratum) alterius est.*

Duo hic docendi causa ponimus formalia: *Connotativum*, & *abstractivum*, propter duplicem vocis significationem in reipsa & Philosophorum scriptis fundatam, quarum neutram licet ad ambiguitatem rejicere, & ita abjicere. Nimirum *Relatio* aliquando sumitur *connotative*, & sic notat 1. *respectum ad aliud*. 2. *Fundamentum proximum* respectus istius, cujus beneficio ab intellectu nostro apprehenditur, ne sicut umbra evanescat. Aliquando verò sumitur *abstractivè*, & sic *nudum respectum* significat. Juxta priorem significationem verum est, quod plerique dicunt, *relationem* sc. esse *accidens*; nam *fundamentum proximum* accidens est, & juxta hanc acceptionem intelligenda est *relatio* in divisione *accidentium*, in qua propter receptum ordinem *accidentium* volumus aliquousque tritam viam calcare. Juxta posteriorem fallit; nam sic tantum *modus* est. Puto autem significationem *connotativam* originem habere ex *prædicamentis*, in

quibus Aristoteles ipse & alii sæpe *late* & *populariter* locuti sunt. Olim etiam *accidentia* frequentius in *concreto* (*quantum*, *quale*, *relatum*, &c. sunt prolata. Crescente Philosophia propter ἀκρίβειαν *abstractio* quidem facta est, sed in *relatione* licet *abstracta* à subjecto sit repræsentata, mansit tamen *concretio* ipsius *respectus* & *fundamenti* in vulgato modo docendi, ne nimis subtilis evaderet hæc doctrina tyronibus, præsertim in *prædicamentis*; cum *concreta* facilius apprehendantur, quàm *abstracta*.

Formale abstractivum.

III. Relatio est *respectus rei ad rem coexistentem, accidentaliter rei superveniens.* Ut paternitas, filiatio, amicitia, præceptoreitas, discipuleitas, dominium, servitus, similitudo, æqualitas, relatio magistratus ad subditos, pastoris ad auditores, ducis ad milites, socii ad socios, &c.

§. 1. Hæc definitio exprimit naturam *relationis prædicamentalis* abstractissimè sumptæ. Ita eam dicimus esse *respectum*, quo ipso respicimus ad divisionem *respectus* in genere, quando dividitur in *Subsistentem*, *Transcendentalem*, & *Prædicamentalem*. Cùm enim nudè in sua natura absque omni fulcro & *fundamento* consideratur, non est *accidens*, non est *ens*, sed *modus* tantùm.

§ Porro

§. 2. Porro cum dicimus, quod sit respectus rei *ad rem coexistentem*, insinuamus primam differentiam relationis *prædicamentalis* & *transcendentalis*. *Transcendentalis* enim non necessariò postulat terminum *actu existentem*, sed ipsi perinde est, sive illud, ad quod *terminatur*, *jam* sit in rerum natura, sive *nondum* sit. *Scientia* habet *respectum* ad illam Eclipsin, quæ *post aliquot annos* demum futura est. *Prædicamentalis* autem nonnisi ex *coexistentia* termini resultat, quæ ubi non datur, ibi nec ipsa est.

§. 3. *Accidentaliter rei supervenit* relatio prædicamentalis. Hæc est altera differentia *rel. præd.* & *transc. Transcendentalis* intimè includitur in *essentia rei*, & est *per se* intenta, ut cum habitus respicit suum obiectum, creatura creatorem, adjunctum subiectum, pars totum &c. *Prædicamentalis* verò ex *coexistente* termino quasi *resultat*, et *forinsecus* ad rem accedit, atq; sic tuetur rationem *accidentis*, sed *prædicabilis*, quale interdum etiam *substantia*, imo modus quoque est, quando de re aliqua contingenter prædicantur, eique *per accidens* conveniunt, ut cum mensa dicitur lignea, manus contracta vel exporrecta.

IV. Ad relationem juxta *formale abstractivum* solidè intelligendam attendendum est ad ejus *requisita*, quæ sunt 1. *Subjectum*. 2. *Ter-*

2. *Terminus*, et 3. *Fundamentum*, Fundamento in aliquibus *relationibus* accedit *ratio fundandi.*

§. 1. *Subjectum* relationis est *substantia*, quam afficit *relatio* seu quæ suscipit *relationem.* Hoc quando una cum *relatione* simul sumitur, fit *relatum*, ut pater. *Subjectum* autem omni *relationi* necessario *substernitur.* Si enim *accidens* non potest esse absque *substantia*, licet perfectam habeat essentiam, quanto minus ea carere poterit *modus* hicce, qui est *debilissimæ entitatis*, uti Philosophi loquuntur. Unde simul apparet, quod *requisitum* hoc primum non *æquali* passu ambulet cum *reliquis* duobus, quia *subjectum* non magis appropriatur *relationi*, quam aliis *modis* et *accidentibus.* Necesse autem est, ut duæ *relationes* oppositæ duo habeant *subjecta*, quæ possunt vocari subiectum *relatum*, et subiectum *correlatum*, e g. aliud *subjectum* requirit *paternitas*, Abrahamum: aliud *filialitas*, Isaacum; subjectum *dominii* erat Abraham: subiectum *servitutis* Elieser. Sententiam illam, quæ *unum subjectum* inter utrumque terminum statuit, rejicimus

§. 2. *Terminus* relationis est illud, ad quod *terminatur* relatio. E g. *Terminus* paternitatis Jacobi erat Reuben: *Terminus* dominii Rachelis erat Bilha: *terminus* præceptoreitatis Aristotelis

erat

erat Alexander Magnus. Esse autem *terminum requisitum* relationis necessarium, ex ipsâ definitione patet, cum dicitur *respectu* ad rem *coexistentem* id quod confirmatur ex illo vulgato, quando dicitur tota natura *relationis* consistere in ESSE AD. *Terminus* autem in relatione *prædicamentali* semper debet esse *coëxistens*, uti definitio ostendit. In eo enim differt à relatione *transcendentali*. Omnis quidem relatio *terminum* infert. Sed prædicamentalis *coëxistentem*.

§. 3. *Fundamentum* relationis est *ratio* seu *causa*, cur aliud ad aliud *referatur*. Causam illam vocarunt Scholastici *fundamentum*, quo ipso absque dubio voluerunt indicare, *relationem* non esse *rem*, sed *modum* rei. Quod enim proprie habet *causam*, illud est *ens*. Quoad enumerationem *fundamentorum* relationis ista sententia præ reliquis certa est, qua statuitur, quod relatio fundetur in *quantitate*, *actione*, *passione*. Sic e. g. in *quantitate* fundantur *æqualitas*, *inæqualitas*, relatio *simplicis ad duplum*, *triplum*, &c. In *qualitate* fundantur *similitudo*, *dissimilitudo*, paternitas (in potentia generandi) amicitia (in similitudine morum) Inimicitia, *&c.* In actione & passione *fundatur* colloquium, contractus, *&c.*

§. 4. Interdum ad fundamentum accedit *ratio fundandi*, quæ est *conditio* ex parte fundamenti

menti *requisita*, ut sit *fundamentum*, & quasi ultimo compleatur in *ratione* fundamenti. Sic potentia generandi non potest esse *fundamentum* paternitatis, nisi accedat ipsa *actio* generandi.

§. 5. Ut res clarior fiat, omnia *requisita* in 2. exemplis monstrabo. Præceptoreitas (sic loquuntur Scholastici) est *relatio* in præceptore ad discipulum, cui opponitur discipuleitas. *Subjectum* præceptoreitatis est e. g. Aristoteles: subjectum *oppositæ relationis* discipuleitatis sc. Alex. M. *Terminus* præceptoreitatis est Alex. M. Term. discipuleitatis Aristoteles. *Fundamentum* præceptoreitatis est eruditio: discipuleitatis docilitas. *Fundandi ratio* præc. est institutio; discipuleitatis rat. fund. est instit. receptio.

Divisio.

V. Relatio 1. vel est *naturalis*, vel *ex instituto*.

VI. Naturalis est, quæ rei accidentaliter supervenit *absque singulari ordinatione intellectus alicujus*.

VII. Ex instituto est, *quæ ex ordinatione intellectus profluit*.

§. 1. Per *naturalem* hic non intelligimus *transcendentalem*, quæ ex ipsa rei *natura* quasi fluit, sed talem, quæ *forinsecus* & *contingenter* accedit ad rem ex termini *coëxistentia*, *absque*

què tamen singulari ordinatione alicujus intellectus. Tales *relationes* sunt inter consanguineos, patrem & filium, sorores & fratres, patrem & avum, *&c.* Inter similia & æqualia, dissimilia & inæqualia (nam non tantum dantur relationes *convenientiæ*, sed etiam *discrepantiæ.*)

§. 2 Relatio *ex institutо* est, quæ non *naturaliter* ex termino coexistentis positione resultat, *sed ab intellectu aliquo ordinatur & instituitur.* Hæc iterum est duplex: nam fluit *vel ex institutо divino*, qualis inter ducem & militem, militem & militem, inter confœderatos, inter contrahentes de depositо, mutuo, pignore, re venali, *&c.*

VIII. 2. Relatio est vel *mutua* vel *non mutua.*

IX. Mutua est, cum relatio vera & realis est in *utroque* subjecto, *relato* sc. & *correlato.*

X. Non mutua est, cum relatio realis *in altero extremo deest.*

Mutua est e. g. paternitas, quia ipsi in *altero* subjecto respondet *filialitas.* *Non mutua* verò est relatio statuæ mercurialis in sylvis ad viam regiam.

PROBLEMATA.

I. An relatio nudè absque fulcro in se spectata sit modus?

Aff. Aut est *ens*, aut *modus* entis: nam plane nihil

nihil non est. Sed non est *ens*, quia non habet peculiarem *essentiam*; nam alias differret ab aliis *essentiis*, ut *res* à *re*, quod negant Philosophi. Ergo est *modus* accidentis.

II. An pater πολύτροπος & una relatione referatur ad omnes liberos?

Neg. Ex *novo termino nova relatio* resultat. Tot ergò sunt in Patre *relationes*, quot sunt *liberi*, quæ augentur & minuuntur, prout plures nascuntur, vel etiam moriuntur.

III. An termini relationis & correlatum sint unum & idem?

Neg. Accurate loquendo *terminus*, quatenus *terminus* non involvit simul *relationem*, (quod ex *rel. non mutuis* patet) correlatum est *terminus una cum relatione*, uti vox ipsa docet.

AXIOMATA.

I. Ubi non datur speciale nomen *relationis* generale vocabulum usurpandum est cum *determinatione* ad subjectam materiam.

Scholastici multa *relationum* vocabula barbara effinxerunt, ut sunt præceptoreitas, discipuleitas, filiatio, *&c.* Hinc quidam suadent, ut semper vocabulum fingatur ad designandam, quamvis relationem *in abstracto*, si non adsit. Verum non opus est. *Relationis* generale vocabulum ubique potest adhiberi e. g. Relatio magistratus

magistratus ad subditos: relatio in pastore ad auditores, &c.

II. Relata sunt simul naturâ.

Plenus sensus regulæ hic est: Relata *prædicamentalia in esse relativo* sunt *simul* naturâ, hoc est, *simul* existunt sine unius ab altero dependentia *causali* (ita enim explicatur *simul naturâ esse*) Restringitur ergo 1. regula ad rel. *prædicamentalem*, de *transcendentali* non semper vera est. *Scientia* potest esse, cum *scibile* nondum est. 2. Valet tantum de correlatorum *esse respectivo*, non *absoluto*: E. g. Pater & filius in esse *relativo* simul naturâ sunt, in esse *absoluto* verò pater est naturâ *prior* filio.

III: Relata se mutuo *ponunt* & *tollunt*. Valet itidem de *esse respectivo* tantum. Cum servus desinit esse servus, dominus non desinit esse homo, sed dominus esse desinit.

CAPUT VII.

DE

ACTIONE & PASSIONE.

Ad tollendam ambiguitatem notandum est, quod in hoc capite tantum tradantur *actiones* &

& *passiones prædicamentales*, & quæ sunt peculiaria *entia*. Licet autem *actio* & *passio* ei correspondens habeant *fundamentalem* identitatem, & sint *unus numero* motus, qui ab *agente* excitatur & in *patiente* recipitur, tamen methodo Philosophis consuetâ de utraque seorsim (in uno tamen capite) acturi sumus.

Formale.

I. *Actio* est accidens, secundum quod ens *agere* dicitur.

Particula *secundum* determinat *formale* principium, unde res aliqua dicitur *agere* vel denominatur *agens*. Particula *ens* indicat, *actiones* non tantum competere *subsistantiis* & *supposito*, quæ aliàs principium actionis *quod* & *radicale* vocantur, sed enti *in genere*, (permissivè loquendo) quia *accidentia* etiam agunt. Et ignis calefacit & calor calefacit.

Divisio.

II. 1. Actio est vel *immanens* vel *transiens*.

Immanens est, quæ ab agente *non transit* ad extraneum subjectum; ut *intellectio*, *volitio*.

Transiens est, quæ *transit* ad extraneum patiens, ut *verberatio*, *pulsio*, *tractio*.

III. 2. Actio est vel *instantanea* vel *successiva*.

Instantanea est quæ fit *in instanti* absque ullo temporis tractu, ut *generatio*.

Successiva

Successiva est, quæ fit *successive*, ut *gyratio, verberatio, projectio, compressio*, &c.

IV. 3. Actio est vel *perfectiva* vel *corruptiva*.

Perfectiva est, quæ perficit patiens, ut *calefactio in respectu ad uvas*.

Corruptiva est, quæ vel totaliter, vel aliquo modo *corrumpit* patiens, ut *transfossio, percussio*.

V. 4. Actio est vel *mutua* vel *non mutua*.

Mutua est, quando agens *vicissim* patitur. Dicitur alias *reactio* & *repassio*: ut *digladiatio*.

Non mutua est, quando agens non *simul* patitur, ut *illuminatio, influxus* stellarum in hæc inferiora.

VI. 5. Actio est vel *materialis* vel *spiritalis*.

Materialis (alias *realis* est, qua agens non sui *speciem*, sed aliquid *reale* producit, ut *generatio*.

Spiritalis (alias *intentionalis*) est, qua agens tandem sui *speciem* s. *representativum* quid producit, ut cum homo sui imaginem in speculo producit

Formale.

VII. Passio est *actionis receptio*.

Quidam ita eam definiunt: *Passio est secundum quam ab eo, quod viribus superius est, quid pati dicitur*. Verum hæc definitio est nimis stricta; potest enim *passio* etiam inferri ab *infirmiori*. Propterea nos generaliter dicimus,

passionem

passionem esse *actionis* (cujuscunque) *receptionem.*

Divisio.

VIII. Passio est *perfectiva* vel *corruptiva.*

Perfectiva est, qua patiens *perficitur*, ut *informari.*

Corruptiva est, qua vel totaliter, vel aliquo modo *corrumpitur* patiens, ut *vulnerari*, *occidi.* Dantur quidem plures divisiones passionis, ut, cum passio dividitur in *instantaneam* (e.g. illuminatio respectu ejus, quod illuminatur) vel *successivam:* in *naturalem* & *voluntariam*, &c. Sed illæ partim ex nudis terminis, partim ex iis, quæ in divisionibus actionis dicta sunt, facilè intelliguntur.

PROBLEMATA.

I. *An actio sit aliquid respectivum?*

Aff. Sed secundum respectum *transcendentalem*, non verò *prædicamentalem.*

II. *An actiones immanentes revera sint activiones?*

Aff. Quia *potentiæ activæ*, ex quibus fluunt, sunt *revera* potentiæ. Omnis autem potentia *activa* est per ordinem ad *veram actionem.*

III. *An omnis actio habeat terminum?*

Neg. Dantur enim actiones *immanentes*, quæ non habent *terminos*, quia nullus potest dari *terminus*, quiab aliquibus actionibus *immanenti-*

bus

bus producatur (talem enim hic terminum intelligimus) Quid enim producit e.g. *intellectio.*

IV. An actio instantanea verè sit actio?

Aff. Quia datur aliquod *efficiens*, quod per *instantaneam* agit, e. g. pater generans filium. Omne efficiens autem per *veram actionem* (quæ causalitas efficientis est) efficit.

V. Num actio & passio ei correspondens sint duo distincta entia?

Neg. Distinguuntur enim hi termini solùm per *inadæquatos conceptus*, licet una res subsit. E.g. Ille ipse motus, qui ab occidente egreditur, & ejus respectu *actio* dicitur, ab occiso recipitur, & ejus respectu *passio* dicitur. Una ergo res *per inadæquatos conceptus* duo sortitur nomina.

AXIOMATA.

I. Omnis *passio* præsupponit *actionem.*

Passio enim nihil aliud est, quam *actionis receptio.*

II. Quidvis non *patitur* quodvis. Requiritur enim *capacitas* in patiente ad *recipiendam* actionem. Coctionem non recipit lapis, sed caro.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE *QUANDO, UBI, SITU, HABITU.*

I. Quando est *habitudo rei durantis finitæ ad durationem defectibilem.*

Quando hic non significat ipsum *tempus* vel ipsam *durationem* in genere, sed *respectum* inter modum & rem. Neque sumitur *interrogativè*, sed *nominaliter*.

II. Ubi est *habitudo rei finitæ ad suum vel locum.*

Ubi hic alibi sumitur, atque in capite de *ubietate*, in quo sæpe pro ipso *loco* vel *quasi* loco usurpatur. Hic enim non notat ipsum *locum*, sed *respectum* tantum ad *locum*. Neque hic sumitur *interrogativè*, sed *nominaliter*, Ubi vel est *naturale*, ut esse supra, infra; vel *fortuitum*, ut esse in templo, domo.

III. Situs est *habitudo partium corporis ordinate dispositarum ad locum.*

Situs non notat ipsum *locum*, sed respectum *dispositionis* partium ad *locum*. Estque 1. vel *naturalis*, quem cujusque rei *natura* præscribit, e.g.

e.g. ut caput hominis sursum, pedes deorsum vergant; vel *fortuitus*, quem *natura* non præcisè requirit, ut sessio. 2. Vel *rectus* vel *obliquus*, quæ distinctio ex terminis ipsis intelligitur.

IV. Habitus est *habitudo corporis ad aliud corpus adjacens.*

Habitus hic non significat illud, quod *privationi* opponitur, neque primam speciem *qualitatis*, neque ipsum corpus *adjacens*, sed *respectum*, qui oritur ex *adjacentia* ornamenti, vestimenti, &c. Est autem habitus vel *naturalis*, ut esse crinitum (nisi capillus sit suppositicius, tum enim est artificialis) vel *artificialis*, ut esse palliatum.

PROBLEMATA.

I. *An Quando, Ubi, Situs & Habitus sint Accidentia?*

Resp. *Populariter* & *Logicè* loquendo possunt ita vocari. *Rigorosè* tamen & *Metaphysice* loquendo non sunt *accidentia*, cum omne accidens sit ens, & verò nullum horum in se præcise spectatum subjecto *novum ens* superaddat; sed *modi*, quod ipsum indicare volumus supra, dum hæc 4. vocavimus accidentia *modificativa*.

II.

II. An Metaphysica debeat agere de Situ & Habitu?

Ratio dubitandi est, quia, restringuntur ad *corpus* tantum. *Corpus* verò non admittit abstractionem *secundum indifferentiam* Metaphysicæ dicatam. Sed Resp. Distinguendo. Metaphysica non agit de *Situ* & *Habitu scientifice*, sed *non scientifice*, ob aliquam tamen necessitatem (quæ ipsi ex circulo abstractionis suæ egredi aliquando permittit) ut sc. Summa vulgò sic dicta *rerum genera* compleat.

SOLI DEO GLORIA.